752607

752607

752607

752607

~~Th. 10. Ord. 1. Nro 44.~~

X, 1, 54
k

752607

HUGONIS GROTII

FLORUM SPARSIO AD IUS JUSTINIANEUM.

Bibl. Facult. Jur. Lugd. Bat.
17 87

AMSTELODAMI,

Apud IOANNEM IANSSONIVM,
Anno Dom. MDCXLVIII.

EGYETEMI KÖNYVTÁR DEBRECEN

A NEMZETI KÖNYVTÁRI NEM ADHATÓ EL! D.

752607

Non ego ſub quorum pendent examine cauſæ,
Non ego pro trepidis ora diſerta reis,
Non ego dictantes legum præſcripta magiſtros
Quicquam, quod ſit opus ſcire, docere volo.
Hoc faciant, adolens Themidis Cujacius aram,
Ingentique bono nomina nata, Fabri.
At ſi quis latebroſa terens ænigmata legum
Pectora de tetrico feſſa labore refert,
Hunc ego ſolabor. det ditior alter ariſtas
Pomaq;. Nos Flores, munera parva, damus.

752607

HVGONIS GROTII FLORVM SPARSIO AD IVS JUSTINIANEUM.

DOCET nos Agathias libro v. primum omnium principum qui Constantinopoli vixêre Iustinianum, non nomine tantum, sed & re fuisse αὐτεξούσιον, id est summo liberrimoque utentem imperio: quæ res ei facultatem dedit ad res magnas agendas, ad recipiendam Africam, & Italiam, ad urbes, castella, pontes, aliaque opera struenda plurima, quæ descripsit Procopius, ad condendum jus novum, & mutanda ejus juris quæ vellet, & quoties vellet, ut erat ingenio perquam mutabili, quod nos idem Agathias docet libro v. Tribonianus autem, quo maximè ministro ad jus condendum usus est Iustinianus, homo fuit juris omnis callentissimus, sed lucri cùm esset cupidissimus, eruditionem sumebat avaritiæ suæ obtegumentum, mutabatque leges suo arbitratu, interdum & ita scribebat perplexas, ut interpretatio-

nem posset prò rebus nàtis quo vellet trahere, quod nos docet idem ille Procopius tum Persicorum primo, tum in arcana historia, ejus rei multa habemus, in Novellis maximè, exempla.

DE CONFIRMATIONE Institutionum.

Imperator Cæsar Flavius Iustinianus, Alamanicus, Gotticus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus] Gravissimè tulit Theodibertus Francorum rex quod Iustinianus, velut devicta Francorum gente, Francici sibi titulum sumeret. Post hujus constitutionis tempora etiam Langobardicum & Gepidicum se dixit Iustinianus, quod eas quoque gentes irritavit. Hæc docet nos Agathias historiarum primo.

DE CONCEPTIONE Digestorum.

In Glossis *digestum* Διάτρωμα. Est ergo non dissimile nomen quod Clemens Alexandrinus suis libris dedit Στρωματέων.

Per simplorum captiones] Simpla & mox sigla, Græca voce corrupta, ex eo quod Latini dicunt singula. intelligit literas singulas vice vocum, quales habemus multas in libello Valerii Probi, nec paucas in inscriptionibus, literas singularias sine coagmen-

752607

agmentis syllabarum dixit Gellius libro XVII. 9.

DE CONFIRMATIONE Digestorum.

Ad Senatum] Magnificos titulos dat Iustinianus Senatui Constantinopolitano, quem revera nullo habebat loco, sed tantum nomine ejus utebatur, ut in Historia arcana nos docet Procopius.

Constantinum virum Illustrem Comitem Sacrarum largitionum] Hujus mentio est in eadem arcana Procopii historia.

DE EMENDATIONE Codicis.

Sine ulla signorum dubietate] *Siglorum* puto scriptum fuisse.

P P. A.] Perpetuo Augusto. ita has notas interpretantur Majoranus & Diaconus.

AD INSTITVTIONES.

Theophilus qui Græcè sed liberius fusiusque hunc librum vertit post Iustinianum fuit, ante Βασιλικῶν editionem: nam ille Βασιλικῶν non meminit. Βασίλικα autem ejus meminerunt. Cogitemus an hic sit qui Theophilitzes dicitur Michaëli III. Impe-

Imperatori apud Cedrenum Basilio Macedone.

Triumphator] In Notis TRIVMPH. *triumphator.*

Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam] Libanius oratione adversus Magistratuum Adsessores: οἶμαι δὴ πάντας αὐτομολογῆσαι, δύο ταῦτα τῶν τῷ ἀρχῷ ὑμῖν σωζόντων εἶναι τὰ μέγιστα, τῷ τε τῶν ὅπλων ἰσχυῷ, καὶ τὴν τῶν νόμων, ὧν ἡ μὲν τῶν πολεμίων κρείττονας ποιεῖ, ἡ δὲ ἐστὶ τῶν δικαίων τυγχάνειν. *arbitror omnes id mihi concessuros, duo esse maximè quæ imperium vobis servant, vim amorum & vim legum, quorum illa de hostibus victoriam dat, hæc verò dat frui jure.*

AD

752607

AD LIBRVM I. INSTITVTIONVM.

DE IVSTITIA ET IVRE.

IVSTITIA *est constans & perpetua voluntas*] Bene hîc posuit voluntatem. nam & vetus Paraphrastes ad quintum Nicomachiorum capite 1. de justitia agens. ἔστω δικαιοσύνη καὶ ἀδικία, ὡς ἐν τύπῳ, ἕξις ἀφ' ἧς βουλόμεθα τὰ δίκαια, καὶ ἕξις ἀφ' ἧς οὐ βουλόμεθα· δεῖ γὰρ προσεῖναι ἀεὶ τῇ ἀρετικῇ τὸ βούλεσθαι, καὶ ἀδυνάτου ἄλλως αὐτὰς διορισθῆναι. Διὰ τὸ βούλεσθαι γὰρ σωφρονεῖν καὶ δικαιοπραγεῖν ὁ δίκαιος, καὶ ὁ σώφρων γίνεται. ὅτι μὲν γὰρ τῶν ὅπως ἐπιμῶν καὶ δυνάμεων τὸ δύασθαι μὲν ἀναίτιον, τὸ βούλεσθαι δὲ οὐκ αἰτιον. εἰ γάρ τις δύναιτο ὑγιάζειν ἰατρός ἐστι· πολλὰ γὰρ ἔξειν τῆς ἰατρικῆς ἕδρας κωλύσῃ τὸ μὴ βούλεσθαι. ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων. ὅτι δὲ τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν ἀναπαλιν ἔχει. τὸ μὲν γὰρ δύασθαι δίκαια πραττῆν δυνατόν ἐστι καὶ τὸν ἀδίκων πολλάκις. τὸ δὲ βούλεσθαι μόνον ἐστὶ τὸ δικαίως. ὅθεν δίκαιός ἐστι καὶ ὁ μὴ δυνάμενος μὴ πράττειν τὰ δίκαια, βουλόμενος δὲ καὶ ἕξιν ἔχων δικαιοσύνης; τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ὁ ἄδικος ἔχει. *Sunto igitur justitia & injustitia, ut rudius rem delineemus, affectio animi quâ justa volumus, & affectio animi quâ justa non volumus. Nam virtutibus ad mores pertinentibus adjici semper debet voluntas. Neque aliter describi possunt: nam eo ipso quod quis vult temperanter aut justè agere, justus existit, aut temperans. In scientiis sanè & facultatibus posse requiritur. Nam si quis possit sanare, medicus est. nihil enim constitutionem illam medici impedit non velle. idemque & in aliis evenit facultatibus. at in virtutibus circa mores res se aliter habet. Nam evenire solet, ut possit justa agere etiam injustus. at velle id ipsum non nisi*

justi est hominis. quare justus erit aliquis etiamsi juste agere non possit, modò velit, & affectionem justitiæ habeat. parique modo se habet injustus. Rectè etiam additur voluntati, id est voluntatis affectioni, constantis titulus. Nam idem ille Aristotelis Interpres ad secundi Nicomachiorum caput IV. sic ait: τότε γὰρ ἔσται δίκαιος ἐὰν ποιήσῃ τὰ δίκαια γινώσκων ἃ ποιήσῃ. ἔπειτα, ἐὰν ποιήσῃ μὲν αὐτὰς προαιρούμενος, καὶ τέλος εἰ βεβαίως καὶ ἀμεταπτώτως ἔχει πρὸς τὴν πρᾶξιν. *ita enim erit justus, si justa faciat sciens quæ faciat: deinde si deliberatò ea faciat: postremum verò si ad talem actionem constanter se habeat atque immutabiliter.* Non alieni sunt ad his quæ diximus Philemonis versus:

ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται,
οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχεται,
ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
ἔχων δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
οὐδ' ὅς γε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
ἀλλ' ὅς τις ἄδολον γνησίαν τ' ἔχων φύσιν
εἶναι δίκαιος κ' οὐ δοκεῖν ἐθέλει.

quæ nos in Stobæana editione sic vertimus.

Non justus omnis abstinens injuriæ est,
Sed qui nocere cùm potest, tunc abstinet:
Nec qui recusat parva, sed qui maximis
Tentatus, animi robur invictum gerit:
Nec quisquis ista quolibet præstat modo:
Sed qui dolosi nescius fuci, integra
Probitate, justus esse, non credi studet.

Fatendum interim est hanc definitionem, ut pleraſque juris consultorum, talem esse ut rem non malè exprimat, non tamen exactam ad dialecticam subtilitatem. Nam virtutis & vitii genus est ἕξις sive constans voluntas, justitiæ autem proximum genus est virtus. ubi autem definitiones fiunt non nominato genere proximo eos, ὁροις ὑπερβαίνοντας definitiones transilientes vocat

752607

cat Aristoteles Topicorum VI. 3. In Stobæanis eisdem titulo eodem de justitia habes Orphei hymnos tres in honorem justitiæ,& justitiæ vindicis & Nemeseos cum versione nostra. Est ejus Poëtica descriptio, & apud Hesiodum operibus, & apud Claudianum de Manlii Theodori consulatu: oratoria autem in Libanii Progymnasmatis. Egregia verò illa imprimis quam in libro de honesto ac voluptate dederat Chrysippus Gellio memorante XIV. 4. παρθένον ἣ εἶ λέγεται καὶ σύμβολον τῆ ἀδιάφθορον εἶ, καὶ μηδαμῶς ἐνδιδόναι τοῖς κακούργοις μηδὲ προσιέσθαι μήτε τοῖς ὑποκριτικοῖς λόγοις, μήτε παραμύθησιν καὶ δέησιν, μήτε κολακείαν, μήτε ἄλλο μηδὲν τῶν τοιούτων, οἷς ἀκολούθως καὶ συνεφαπτόμενα, καὶ συνεσκυθρωπακὸς ἔχουσα τὸ πρόσωπον καὶ ἔντονον καὶ δεδοικὸς βλέπουσα. ὥστε τοῖς μὲν ἀδίκοις φόβον ἐμποιεῖν, τοῖς δὲ δικαίοις θάρσος. τοῖς μὲν ὡς πρὸς φίλους ὄντως τὸ τοιούτου προσώπου, τοῖς δὲ ἑτέροις προσύντους. *Virgo esse dicitur, ut significetur incorrupta esse, neque concedens malignis, neque admittens verba mollia, aut excusationes, aut preces, aut adulationem, aut aliud quodvis tale: tum verò adspectu pingitur tristi ac vehementi, & luminibus oculorum acribus, ut hominibus quidem injustis terrorem addat, justis verò fiduciam, cùm adversus illos vultu sit amico, in hos verò hostili.* Habes ejus præconia & apud Macrobium somnio Scipionis ut cum I. I. sine ea dicit, non solum rempublicam, sed nec exiguum hominum cœtum, ne domum quidem parvam constare:& animis post hanc vitam servari justitiæ vel cultæ præmium, vel spretæ pœnam,& I. 5. octonario numero justitiæ nomen datum propter æqualē divisionem,& I. 8. de justitia venire innocentiam, amicitiam, concordiam, piëtatem, religionem, affectum, humanitatem: quibus virtutibus vir bonus primum sui, atque inde reipublicæ rector efficitur, justè ac providè gubernans humana, divina non deserens. Polus

verò Pythagoricus hoc dicit justitiam esse inter homines, quod in mundo consensum à divina ortum providentia, quod in regno pacem, quod in domo viri ac uxoris domesticorumque omnium inter se concordiam, quod in corpore integritatem ac sanitatem, quod in animo sapientiam. Stoici justitiam divisêre in δ' σέβειαν, χρηςότητα, δ' κοινωνησίαν, δ' συναλλαξίαν, *pietatem, bonitatem, rectitudinem, tum in vita communi, tum in contractibus.* Et si Ciceroni credimus in finibus: *Iustitia est erga deos religio, erga parẽtes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur.* Thespesion Apollonio apud Philostratum: δίκαιός ὤν, ὦ Ἀπολλώνιε κ' τ' δ' θ' λόγον, ὃς χ' ὁ μὴ ἄδικος, ἀλλ' ὁ δίκαια μ' αὐτὸς πράττειν, καθίστας ἢ ς' ἑτέρους εἰς τὸ μὴ ἀδικεῖν. ς' φύσονται δ' τοιαύτης δικαιοσύνης, ς' ἄλλαι μ' ἀρεταὶ, μάλιστα ἢ ἡ δικαστική τε ς' ἡ νομοθετική. δικάζῃ μ' γὰρ ὁ τοιόσδε, ς' πολλῷ δικαιότερον, ἢ οἱ κ' τ' δ' τομίων ὀμνύοντες· νομοθετήσῃ ἢ ὥσπερ οἱ Σόλωνές τε ς' οἱ Λυκοῦργοι. ς' γὰρ δὴ καὶ κείνοις τῷ γράψαι νόμον δικαιοσύνη ἦρξε. *Secundùm rectam rationem Apolloni, justus est, non utique is qui injustus non est, sed qui justè agit, alios q; sic instituit, ne quid injustè agant. adhærent autẽ justitiæ tali, tum aliæ virtutes, tum maximè judicatrix & legum conditrix. qui enim talis erit, judicabit, & quidem multo justius, quàm qui divisis pecudibus jurant: leges autem feret quomodo Solones & Lycurgi. nam & illis ad leges scribendas justitia dux fuit.* Scholiastes verò Iuvenalis justitiæ comites facit fidem & pudicitiam. Vide quæ diximus de Iure Belli ac Pacis, III. cap. X. Definiri autem solent virtutes omnes in sua perfectione. Martianus Capella de Dialectica. *Plerique autem subtiliter videntur attendisse, qui qualitates ipsas non dicunt recipere magis & minus, sed ea quæ ab his denominantur: ut justitia sit ipsa una quædam perfecta notio, ut non dici possit magis hæc*

justitia,

752607

justitia, quàm illa est. dici tamen potest magis hic justus, quàm ille est. quod benè convenit cum iis quæ habet Aristoteles x. Nicomachiorum 2. ac sic explicat optimus Paraphrastes. δίκαιοι γὰρ εἰσι μᾶλλον ἢ ἧττον, καὶ αἱρεῖσι, καὶ δικαιοπραγεῖν, καὶ σωφρονεῖν μᾶλλον ἢ ἧττον ὄντι. ἀλλ' ἃ διὰ τοῦτο ἀόριστοί εἰσιν αἱ ἀρεταί. *sunt homines & magis & minus justi ac fortes: fitque ut magis minusve quis aut justè agat, aut temperanter, neque tamen ob id, indefinitæ sunt virtutes.*

Iurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia] Sic Gellius XI. 17. *Draco Atheniensis vir bonus, multaque esse prudentia existimatus est. juris que divini & humani peritus fuit.* Iustinus disceptatione cum Tryphone: ὅπερ ἡμῖν ἐστιν ἡ παρέχουσα αὐτὴ τὴν ἀνθρωπίνων, καὶ τὴν θείων γνῶσιν. ἔπειτα τί τούτων θειότητος, καὶ δικαιοσύνης ὅπως ἔχουσιν; καὶ μάλα ἕξω. *estne scientia aliqua, quæ præbeat rerũ divinarum atq; humanarum notitiam, ac præterea cognitionem ejus quæ in his est divinitatis atque justitiæ? est planè inquam.* hanc notitiam Philosophia pollicetur. Strabo initio sui operis: ἧττε πολυμαθίαν δι' ἧς μόνης ἐφικέσθαι τῷδε τῷ ἔργῳ δυνατόν, ὃν ἄλλως τινός ἐστιν, ἢ τῶν τὰ θεῖα, καὶ τὰ ἀνθρώπινα ὁπτικῶν, ὧνπερ ἡ φιλοσοφία ὅπερ ἡμῖν φασιν. *Multarum rerum cognitio, sine qua hoc opus effici nequit, non est nisi ejus, qui divinas humanasque res complectitur, quorum scientia dicitur esse ea, quæ Philosophia appellatur.* Præcipuè verò ea philosophia quæ in actu versatur. M. Cicero Tusculanarum quinto. *Nam sapientiam quidem ipsam quis negare potest, non modò re esse antiquam, verum etiam nomine? quæ divinarum humanarumque rerum, tum initiorum, causarumq; cujusq; rei cognitione hoc pulcherrimum nomen apud antiquos assequebatur.* idem de Officiis primo. *illa autem sapientia, quam principem dixi, rerum est divinarum atque humanarum scientia: in qua continetur deorum & hominum communitas, &*

societas inter ipsos. ea si maxima est, ut est certè, necesse est quod à communitate ducatur officium, id esse maximum. Etenim cognitio contemplatioque naturæ, manca quodammodo atque inchoata sit, si nulla actio rerum consequatur, ea autem actio in hominum commodis tuendis maximè cernitur. Plato quoque tum in Timæo, tum de Republica quinto, philosophiam definit: ἐπιστήμην τοῦ ὄντος, καὶ τῶν ὄντων, καὶ τοῦ γιγνομένου. *scientiam ejus quod est, & eorum quæ sunt, & eorum quæ fiunt.* Hujus philosophiæ cùm magna pars sit vera jurisprudentia, ut Vlpianus rectè nos docet l. 1. D. de just. & jure, meritò generis nomen sibi præmittit, specialem deinde differentiam adjiciens per justi atque injusti scientiam. Benè autem distinxit Vlpianus, & ex ea Tribonianus notitiam & scientiam, γνῶσιν & ἐπιστήμην. nam Iurisconsulto sufficit res divinas humanasque (de quibus libros Varro scripserat) nosse aliquatenus: propriè autem ac peculiariter exactéque nosse, id est scire, debet, justum injusto quid intersit. Idem fermè voluit Quintilianus: cùm dixit, oratoris vitam cum scientia divinarum humanarumque rerum esse conjunctam, id est non eam planè possidere, sed neque ejus esse exsortem.

Ita videntur posse tradi commodissimè, si primò levi ac simplici via, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur. alioqui si statim ab initio rudem adhuc & infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum, aut desertorem studiorum efficiemus, aut cum magno labore, sæpe etiam cum diffidentia (quæ plerumque juvenes avertit) serius ad id perducemus, ad quod, leviore via ductus, sine magno labore, & sine ulla diffidentia, maturius perduci potuisset. Paria habet de arte oratoria Quintilianus libri octavi initio: *His verò quæ in proximos quinque libros collata sunt, ratio inveniendi, atque inventa disponendi continetur: quam ut per omnes numeros*

penitus

752607

penitus cognoscere ad summam scientiæ necessarium est, ita incipientibus brevius ac simplicius tradi magis convenit. Aut enim difficultate institutionis tam numerosæ atque perplexæ deterreri solent, aut eo tempore, quo præcipuè alenda ingenia, atque indulgentia quadam enutrienda sunt, asperiorum tractatu rerum atteruntur. aut si hæc sola didicerint, satis se ad eloquentiam instructos arbitrantur: aut quasi ad certas quasdam dicendi leges alligati conatum omnem reformidant, unde existimant accidisse, ut qui diligentissimi artium scriptores exstiterunt, ab eloquentia longissimè fuerint. Via tamen opus est incipientibus, sed ea plana, & tum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita.

Suum cuiq; tribuere] Iustitia servat unicuiq; quod suum est. Macrobius 1. de Somnio 10. Cicero de Natura Deorum: *Iustitia quæ suum cuiq; distribuit*, & de finibus: *Iustitia in suo cuiq; tribuendo cernitur*.

Hujus studii duæ sunt positiones, publicum & privatum.] Demosthenes in Timocratem: Ἔστιν δύο εἴδη, περὶ ὧν εἰσιν οἱ νόμοι καὶ πάσας τὰς πόλεις. ὧν τὸ μὲν ἔστι, δι' ὧν χρώμεθα ἀλλήλοις, καὶ συναλλάττομεν καὶ περὶ τὰ ἴδια ἃ χρὴ ποιεῖν, διωρίσμεθα, καὶ ζῶμεν ὅλως πρὸς ἡμᾶς αὐτούς. τὸ δ', ὃν τρόπον δεῖ τὴν κοινὴν τῆς πόλεως ἕνα ἕκαστον ἡμῶν χρῆσθαι, καὶ πολιτεύεσθαι, καὶ κήδεσθαι τῆς πόλεως. Duæ sunt positiones, de quibus leges apud omnes civitates constituunt: prior est qua convivimus contrahimusque mutuò, ac de iis scilicet quæ privatim facienda sunt, decernimus, vivimusque planè nobis ipsis: altera, quemadmodum quisque re publica uti debeat, & aut civem se præstare, aut magistratum. Plinius lib. VIII. epistola 14. *Cum sis peritissimus & privati juris & publici, cujus pars Senatorium est.* in qua epistola habes egregiam quæstionem ad hoc jus pertinentem. Gellio x. 20. Atejus Capito dicitur publici privatiq; juris peritissimus, idem multa de jure Senatorio habet ex Varrone XIV. 7.

Collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus] Cicero de Aruspicum responsis. *Hoc si minus jure civili perscriptum est, legi tamen naturæ, & communi gentium jure sancitum est.* Gellius VII. 3. de Catonis loquens oratione quam is pro Rhodiensibus habuit: *Ac primum ea non incallidè conquisivit, quæ non jure naturæ, aut jure gentium fieri prohibentur, sed jure legum, rei alicujus medendæ, aut temporis causa jussarum.*

DE IVRE NATVRALI GENTium & Civili.

Hinc liberorum procreatio, hinc educatio] Seneca de beneficiis IV. 17. *Quomodo nulla lex amare parentes, indulgere liberis jubet. supervacuum est enim, in quod imus, impelli.* Agit de ea re, & Nazianzenus in distichis, & Chrysostomus sermone secundo, Euripides Dictye:

εἰς γάρ τις ὅδε κοινὸς ἀνθρώποις νόμος
Θεοῖσι τοῦτο δόξαν, ὡς σαφῶς λέγω.
θηρσίν τε πᾶσι, τέκνα τίκτοντας φιλεῖν:
τἀλλ' ἄλλα χωρὶς χρώμεθ' ἀλλήλων νόμοις.

Communis hæc lex stirpis est mortalium:
Trahens & ipsos in sui assensum deos,
Feræque: amare quicquid est ex se satum.
In rebus aliis jure *non uno utimur.*

Ius quidem civile ex unaquaque civitate appellatur] Civica jura, dixit Horatius.

Nam si quis velit Solonis vel Draconis leges appellare jus civile Athenienſium, non erraverit] Et sic jus civile dixit de Attico jure scriptor vitæ Cimonis.

Vsu exigente, & humanis necessitatibus] ἀναγκαία νόμισις. Dioni Prusæensi.

Sed quoties non addimus nomen cujus sit civitatis, nostrum jus significamus, sicuti cum poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius] Proclus ad Politi-

752607

Politicorum Platonis ſecundum: ἡ γὰρ ἀρθρα προσθησις ἢ καθ' ὑπερβολὴν δηλοῖ μόνον, ὡς ὅταν λέγωμεν, ὁ ποιητὴς εἶπεν, τῷ ἀκροτάτῳ τοῦτο ἐξαίρετον νέμοντες. *Articuli appoſitio modò per excellentiam unum aliquid ſignificat, ut cùm dicimus, poëta dixit, dantes hunc honorem ei, qui in ſuo genere ſummus eſt.* Sic & Galenus libro, animi affectus conſectaneos eſſe temperaturæ. εἰωθότων τῶν ἀνθρώπων, ἐνίοτε καὶ μεροτεύοντα τῶν ἐκ τῶν ἡλίκων τῶν τοῦ ἡλίους προσαγορεύειν ὀνόματι· καθάπερ ὅταν εἴπωσιν ὑπὸ μὲν τοῦ ποιητοῦ λελέχθαι τόδε ἔπος· ὑπὸ δὲ τῆς ποιητρίας τόδε. πάντες γὰρ ἀκούομεν Ὁμήρου μὲν λέγεσθαι ποιητοῦ, Σαπφοῦς δὲ ποιήτριαν. *Quippe cùm ſoleant non rarò homines, quæ in quoque genere prima ſunt, ea generis donare nomine, ut cùm dicunt hoc dictum eſſe poëtæ, illud verò poëtriæ: intelligunt enim omnes ſub poëtæ nomine Homerum, ſub poëtriæ Sappho.* Quintilianus VI. 8. *Enthymema quoque eſt omne quod mente concipimus: propriè autem dicitur, quæ eſt ſententia ex contrariis, propterea quod eminere videtur inter cæteras, ut Homerus poëtæ, urbs Roma.* Adde Plutarchum Symp. IV. 13.

Aut ſcripto, aut ſine ſcripto] Scholiaſtes ad Satyram primam Horatii: *quia aliud eſt ius ſcriptum, aliud non ſcriptum.*

Lex eſt quod populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante, veluti Conſule, conſtituebat] Atejo Capitone definiente apud Gellium X. 20. *Lex eſt generale juſſum populi aut plebis rogante magiſtratu.* Vbi legis vocem latiore ſenſu accipi, ut & plebiſcita includat, quanquam contrà privilegia, quæ & ipſa leges vocari ſolent, excludi, notat ibi Gellius, addens totius hujus rei caput, originem & fontem eſſe rogationem. huc pertinet in notis illud P. I. R. P. Q. I. S. *Populum jure rogavit, populuſque jure ſcivit.*

Plebiſſcitum autem eſt, quod plebs plebejo magiſtratu interrogante, veluti tribuno, conſtituebat.

Plebs autem à populo eo differt, quo species à genere. nam appellatione populi universi cives continentur, connumeratis etiam patriciis & Senatoribus: plebis autem appellatione sine patriciis & Senatoribus, cæteri cives significantur. Sed & plebiscita lege Hortensia lata, non minus valere quàm leges cœperunt] Lælius Fœlix apud Gellium xv. 27. *Is qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed concilium edicere debet. Tribuni autem neque advocant patricios, neque ad eos referre ullæ de re possunt. ita ne leges quidem propriè, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt, quibus rogationibus antè patricii non tenebantur, donec Q. Hortensius Dictator eam legem tulit, ut eo jure quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.*

Senatusconsultum est, quod Senatus jubet atque constituit] Id quibus fieret modis, vide Varronem apud Gellium xiv. 7. In notis S. C. D. Senatus consultus decrevit.

Quum lege Regia, quæ de ejus imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concedat] Strabo in fine operis: Αἱ δ' ἐπαρχίαι διήρηνται ἄλλοτε μὲν ἄλλως. ἐν δὲ τῷ παρόντι ὡς Καῖσαρ ὁ Σεβαστὸς διέταξεν. ἐπεῖτα γὰρ ἡ πατρὶς ἐπέτρεψεν αὐτῷ τὴν οἰκουμένην τὴν ἡγεμονίας, καὶ πολέμου, καὶ εἰρήνης κατέχειν πάσαν διὰ βίου, διχᾶ διεῖλε πᾶσαν τὴν χώραν, καὶ τὴν μὲν ἀπέδειξεν ἑαυτῷ, τὴν δὲ τῷ δήμῳ. *Provinciæ dividuntur aliter aliàs, nunc verò ita ut Cæsar constituit Augustus. Nam is cùm civitas ipsi regimen imperii permisisset, ita ut dum viveret, esset pacis bellique dominus, terras omnes bipartito divisit, partemque sibi sumens, alteram populo reliquit.*

Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituit] Philostratus Aspasio: αὐτοκράτωρ γὰρ ὁπότε δημοσίων, ἃ δεῖ ἐνθυμημάτων, ἢ δίκης ἁπτόμενος, ἀλλὰ δόξης, ἢ δὴ καὶ ἀσαφείας, ἐπιστείλῃ νόμους φθέγ-

752607

φήσῃ τις. σαφηνείᾳ ὃ ἐρμηνεῦς νόμου. *Imperator quoties epistolas scribit, non opus habet enthymematis, aut argumentationibus, sed sensu expresso. neque obscuritate. legem enim enuntiat: perspicuitas autem legis est interpres.*

Naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur, divina quadam providentia constituta semper firma atque immutabilia permanent] Dionysius Tyrannus dixit: τὰς μὲν πόλεως βιάσασθαι νόμους δύνασθαι, τοὺς δὲ τῆς φύσεως μὴ δύνασθαι. *Se civitatis quidem leges frangere posse, naturæ autem non posse.* Eas verò, quę naturę dicuntur leges rectè Deo ascribi, & nos in prolegomenis de jure Belli ac Pacis, librique primi capite primo ostendimus, & latè Origenes libro quinto contra Celsum.

Ea verò quæ ipsa sibi civitas constituit, sæpe mutari solent, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata] Varro de lingua Latina libro VIII. *An non sæpe veteres leges abrogatæ novis cedunt?* Cicero ad Atticum III. 23. *Scis enim Clodium sanxisse, ut vix aut omnino non posset, nec per Senatum, nec per populum infirmari sua lex. Sed vides nunquam observatas esse sanctiones earum legum, quæ abrogantur. nam si id esset, nulla ferme abrogari posset: neque enim ulla est, quæ non ipsa se sepiat difficultate abrogationis. Sed cùm lex abrogatur, illud ipsum abrogatur quo non eam abrogari oporteat.*

Omne autem jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones] Non multum dissimile Donati illud Adelphis II. 4. *Omne quod geritur, aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis eorum.*

DE IVRE PERSONARVM.

Persona, à personando dicta, ut censuit Gabius Bassus apud Gellium V. 7. propriè id est quod ad fabulas agendas assumitur. προσωπεῖον Græcè quod ori apponatur. Sed tam Latina vox quàm Græca

transferri cœpit ad omnes qualitates, quas nobis vita hæc, velut fabula quædam, imponit. ita apud Ciceronem sæpe: Vos mihi hanc personam imposuistis: quod alibi dicit partes. tres personas sustineo, meam, adversarii, judicis. Sic personam dicit Principis, Magistratus, petitoris, accusatoris, personam quæstoriam. Sic apud Lactantium, alia est persona domini, alia judicis. cœpit deinde ab origine longius transferri, ut ipsos homines significet, ut cùm dicit Celsus medicus neminem periclitari velle in splendida persona.

Libertas quidem, ex qua etiam liberi vocantur, est naturalis facultas, quod cuique facere libet, nisi si quid vi aut jure prohibetur] Libertas generaliter considerata, satis rectè dicitur, facultas agendi quod libet. Aristoteles: ἐλεύθερον δ' ἐστὶ τὸ ὅπως ἂν βούλοιτο τις ποιεῖν. *Libertas & æqualitas est facere quod velis.* Sic è contrario Zenoni apud Laërtium: Δουλεία, στέρησις αὐτοπραγίας. *Servitus est status arbitrio suo carentis.* Platoni in Lyside servus, ᾧ μηδὲν ἐξεῖη ποιεῖν ὧν ἂν θυμῇ. cui nihil liceat facere eorum quæ velit. Persius:

An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit?

Dion Prusæensis. τὸ ἐλεύθερον, τὸ μηδενὸς ὑπήκοον, ἀλλὰ προήμενον ἁπλῶς τὰ δοκοῦντα ἑαυτῷ. *Libertas est parere nemini, sed planè ea facere quæ velis.* Iulianus Misopogone. παρελεῖσθαι γὰρ ἐστὶ καὶ ἀποθραύειν τῆς ἐλευθερίας τὸ κεφάλαιον εἴ τις ἀφέλοιτο τὸ λέγειν καὶ προήμενον ὅτι βούλονται τοὺς ἀνθρώπους. *Id enim sit auferre & detruncare quod summum est libertatis, si quis demat hominibus dicere, ac facere quod velint.* Sed quia hîc de hominibus agitur civilem vitam degentibus, quorum nemo, si rigidè loquamur, liber est, quia legibus tenetur (quæ est δουλεία ἐν ὑποταξῇ, ut dicebat Zeno) inde servus quidam apud Philiscum:

ἐμοῦ γὰρ ἐστὶ κύριος μὴ εἰς ἀνὴρ·

τοῦ-

752607

τούτου ὃ ἐσθ μερίων τ' ἄλλων νόμων. ἕτερον τύχην.

ideo non malè pro re subjecta, additur definitioni legum exceptio. Persius:

Vindicta postquam meus à Prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica notavit?

Dion Prusæensis dicta jam oratione: ὅστις μὴ ἀπείρηται ὑπὸ τῶν νόμων μηδὲ προστέτακται, περὶ τούτων ἔχων αὐτὸς τὴν ἐξουσίαν τὴν πρᾶξιν ὡς βούλεται, τί μὴ ἐλεύθερος. *Qui facultatem habet faciendi, quæ vult, exceptis quæ legibus vetita sunt, aut jussa, is quomodo non sit liber?* Vim excipi nihil opus fuerat, quia ea jus ipsum nec adimit, nec circumscribit. Attamen sicut multa in popularibus descriptionibus magis nominum quàm definitionibus adjici solent, ad vitandam ὁμωνυμίαν, non omnino supervacua est hæc exceptio, ut sciamus per vocem facultatis, & verbum paris sensus, licet, intelligi hîc id quod juris est, non quod facti. cæteroqui si libertatis nomen ita laxè sumamus, ut non minus ea quæ facti est, quàm quæ juris comprehendatur, non est liber qui cogitur. Et ideo Stoïci sapientes solos esse ajunt liberos, quia cogi nequeunt: aut enim morientur potius, quàm quid turpe faciant, aut si res turpis non est, sponte facient ne cogantur. Arianus Epicteteorum IV: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτε ἀναγκάσαι ἔστιν, οὔτε κωλῦσαι, οὔτε βιάσασθαι. *Liber est qui vivit ut vult, qui neque cogi, neque prohiberi, neque vi impelli potest.* Iulianus adversus Cynicum. ἐκεῖνον ἐστὶν ὡς ἀληθῶς δοῦλον, ὃν κύριός ἐστιν ἕτερος προσαναγκάσαι ποιεῖν, ὅτι ἂν κελεύῃ, καὶ μὴ βουλόμενον κολάσαι, καὶ τὸ λεγόμενον ὑπὸ τῶν ποιητῶν,

κακῇσι δ' ὀδύνῃσι πελάζειν.

is enim verè servus est, cui alius sic dominatur ut eum cogat, quod jubeatur facere; & si nolit, eum torqueat, &, ut poëta loquitur:

duros det ferre labores.

qui-

quibus optimè conveniunt quæ habent Horatius libro II. Satyra VII. Persius Sat. V. Sed hæc hujus non sunt loci. Dixit autem Iustinianus naturalem facultatem, quia naturæ convenit, nempe eo sensu quem explicavimus de jure Belli ac Pacis II. 27.

Quod imperatores captivos vendere, ac per hoc servare, nec occidere solent] Vendere solebant coronatos: Gellius VII. 4.

Cùm liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est] Nempe spe decipiendi emtoris. nam jure Romano directè semet vendere nemo poterat, quod apud Græcos fieri erat solitum. itaque Diogenes dicitur ex libertate in servitutem venum iisse. Gellius II. 18.

DE LIBERTINIS.

Sed quoniam dedititiorum quidem pessima conditio jam ex multis temporibus in desuetudinem ierat] Hinc est quod Tacitus Annalium XIII. duas tantum manumittendi memorat species. Confer Salvianum de avaritia lib. III.

Nec domini manumittentis] Lege *dominii*. Nam olim alii plenè erant domini servorum, alii eos tantum in bonis habebant.

QVIBVS EX CAVSIS MANVMITTERE non licet.

Cum libertate heredem instituere] Id enim exprimi debuit: alioqui nulla fuisset institutio: sicut nec legatum valet, quod quis servo suo reliquit, non adscripta libertate. Plinius IV. epist. 10.

In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, solvendo non est, vel qui datis libertatibus desiturus est solvendo esse] Scævinus apud Tacitum Annalium XV. *Pecunias & libertates servis, & ante do-*

752607

vo datas: sed ideo tunc largius, quia tenui jam re familiari, & instantibus creditoribus, testamento dissideret.

Apud Consilium] D. C. S. De consilii sententia in notis. manumissus ad consilium, in inscriptionibus Gruteri p. 631.

Iustæ causæ manumissionis approbatæ fuerint] Donatus in Adelphis v. 8. *Asscribi enim causas manumissionis in jure formula est.*

Nos mediam quodammodo viam eligentes] Quod facere solent prudentes, ubicunque est τὰ ἐφεξις, id est perplexa quæstio, quæ vox Græca etiam ad Thalmudicos eo sensu pervenit. Vide rerum illarum doctissimum Constantinum l'Empereur in Middoth. v. 1.

De Lege Fvsia Caninia tollenda.

Imperator Tacitus in testamento suo mansit intra legem Caniniam, ut narrant qui vitam ejus scripsêre.

De His Qvi Svi Vel Alieni juris sunt.

Ex constitutione Divi Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus puniri jubetur, quàm si alienum servum occiderit] Qui vitam mancipio exterquet alieno, crimine non caret, ait Macrobius Saturnalium I. 13. at in servum nihil non domino licere vetus dictum est, cujus meminit Seneca in Controversia de Parrhasio. idque jus Romæ valuit stante republica. Imperatores temperamentum adjecêre, quo servos sibi obstringerent. Seneca de beneficiis III. 22. *At qui de injuriis dominorum in servos audiat positus est, qui & sævitiam & libidinem, & in prabendis ad victum necessariis avaritiam compescat.* qui servum castraverit, aut capite punitur, aut deportatur: Paulus senten-

sententiarum libro v. tit. 23. adde Lampridium Adriano. Nec tamen hoc sine exemplo introduxêre Imperatores. Nam apud Athenienses de sævitia in servos cognoscebatur, ut Xenophon nos docet de republica Athenienſium. quin & licebat servis aut certa pecunia se redimere, ut Plautus Casina nos docet, quæ Comœdia Attica est, aut poscere ut venderentur, quod est πωλεῖσθαι Plutarcho, Aristophani quoque, & Eupolidi apud Pollucem, & Philoni. Cæterum quod in Caji institutionibus nunc legitur: *Sed jus distringendi in servos dominis pro sua potestate permittitur: occidendi tantum servos suos domini licentiam non habebunt: nisi fortè servus, dum pro culpa modo cæditur, casu forsitan moriatur. nam si servus dignum morte crimen admiserit, iis judicibus, quibus publici officii potestas commissa est, tradendus est, ut pro suo crimine puniatur:* hoc omne norit lector non Caji esse, sed Aniani, qui Cajum pro suorum temporum moribus interpolavit.

Expedit enim reipublicæ ne sua re quisque malè utatur] Est hæc sententia apud Sopatrum.

Ad statuam confugerunt] Vice statuarum postea fuêre Ecclesiæ. in jure Græcoromano: εἴτις τῶν εἰκετῶν λιμῷ & γυμνότητι πεζόμενος γνώμῃ δεσπότου τῇ ἐκκλησίᾳ προσφεύγῃ, εἰμὴ κατὰ τὸ δίκαιον αὐτῷ ἀμφότερα διορθοῦται, παρασκεύω ὁ δοῦλος ἄλλῳ δεσπότῃ, ἵνα μὴ ὑπὸ φθορᾶς διαφθείρηται. *Si quis servus fame ac nuditate ex imperio herili pressus ad Ecclesias confugiat, nisi herus his malis remedium adferat, vaneat servus alii domino, ne despectu intereat.*

DE PATRIA POTESTATE.

Quos ex justis nuptiis procreavimus] Hinc in notis I. N. Q. *justis nuptiis quæsitus.*

Proprium est civium Romanorum] Vide quæ de hac re diximus de jure Belli ac Pacis lib. II. cap. v. 7. & in annotatis.

DE

752607

DE NVPTIIS.

Fœminæ verò viripotentes] Anno duodecimo. Id ideo constitutum ait in Numa Plutarchus, ut animi rudes facilius se conjugum moribus aptarent.

Cùm verò per emancipationem adoptio sit dissoluta, poteris eam uxorem dicere] Exemplum habes in M. Antonino Pio.

Duorum autem fratrum, vel sororum liberi, vel fratris & sororis conjungi possunt] Vetus id jus Romæ, non tamen ab initio, teste Tacito Annal. XII. & Plutarcho quæstionibus Romanis. Exemplum habes L. Lucius Titius, §. filiam, D. ad Senatusconsultum Trebellianum. Post Iustinianum mutavit id jus: unde & mutatio nata in Theophili codice.

Quasi sine patre filii] Nimirum ex joco, quia S. P. significabat sine patre, & eodem modo Spurius nomen Romanum scribebatur. ut in notis Valerii videre est. Vide Plutarchum Quæstione Romana c. 11.

Dotalibus instrumentis] In Glossis: *dotale instrumentum* προγικῶον.

DE ADOPTIONIBVS.

Quæ species adoptionis dicitur arrogatio] De adoptione specialiter sic dicta, & de arrogatione, & quid differant Romano jure veteri vide Gellium V. 18.

Causa arrogationis an honesta sit] Μήπως δι' ἔρωτα Σατανικὸν ἢ κακοτροπίαν ἢ τῆς υἱοθεσίας ὄνομα γένηται. *ne forte per Satanicum amorem aut malitiam aliquam commentum arrogationis fiat*, est in jure Græcoromano.

Fœminæ quoque adoptare non possunt] Mutavit id Leo qui feminis, etiam virginibus, hoc jus indulsit.

Eum servum quem dominus actis intervenientibus filium

filium suum nominaverat, liberum esse constituimus] Est apud Quintilianum Patrem controversia numero CCCXLII. ubi ancilla matronali habitu ad archipiratam missa velut filia ejus qui ipsi erat dominus, defendit se esse liberam ex lege: *qui voluntate domini in libertate fuerit, liber sit.* ubi ejus legis adferuntur exempla: *Iudex inter duos convenerit, & sententiam tulerit volente domino: liberum esse hunc voluit, ut ea res qua judicata erat, haberet suum finem.* postea: *An verò majus in hoc putamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quàm si habitum dederis, stolam dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contigit?* deinde: *profecta est, parum est dicere quasi ingenua, quasi honesta, quasi filia tua.* Multa sunt in eadem controversia, unde species æquitatis induci possit huic constitutioni Iustinianeæ. Sed, ut modò dixi, servis præter leges antiquas, faverunt Imperatores suæ securitatis causa.

QVIBVS MODIS IVS PATRIÆ Potestatis solvitur.

Sed ex constitutione nostra summa patritiatus dignitas, illico imperialibus codicillis præstitis, filium à patria potestate liberat] Ad exemplum honoris olim habiti Vestalibus, de quo vide Gellium I. 12. & Plutarchum Numa. Patritios vocatos ait Isidorus, quod sicut patres filiis, ita provideant reipublicæ.

Per imaginarias venditiones] Libra adhibita, ut mos erat in omni mancipatione, sive, quod idem est, emancipatione. docet id Plinius libro XXXIII. Apud Scholiasten Horatii est: *Libra & ære comparare.* apud eundem: *Emancipatus, servus factus.* Hæc omnia ex jure XII tabularū, quo filii servis pares.

DE TVTELIS.

Tutores quasi tuitores] Varro libro VI. *tueri duo signi-*

752607

significat, unum ab aspectu, ut dixi, unde est illud, Tueor te senex proh Iupiter. &

Quis pater, aut cognatus volet vos contra tueri? Alterum à curando, ac tutela, ut cum dicimus, Bellum tueor, & tueri villam, à quo etiam quidam dicunt illum qui curat ædes sacras, ædituum. Sed tamen hoc ipsum ab eadem profectum est origine, quod quem volumus domum curare, dicimus, Tu domi videbis, ut Plautus cum ait, Intus para, cura, vide quod opus fuat.

QVI TESTAMENTO TVTORES dari possunt.

Quia persona non causa vel rei tutor datur] Impropriè ergo vox tutoris usurpatur in notis B. T. *bonorum tutor.*

Etiam posthumæ, vel posthumo] Vera scriptio videtur *postumæ, vel postumo.* quomodo veteres citumum, ultumum, intumum, extumum dicebant: nec aliud propriè ea vox significat, quàm postremo loco natum, quomodo Cæsellius explicabat illud Virgilii.

Silvius Albanum nomen, tua postuma proles,
Quem, tibi longævo, serum Lavinia conjux
Educet silvis regem.

Sic & spem postumam dixit Apulejus. Sed quia post patris mortem natus certo erat ultimus, ideo nomen commune talibus adhæsit.

DE CAPITIS DIMINVTIONE.

Cum aliquis simul & civitatem & libertatem amittit] Sic Regulus capitis minor Horatio, id est servus factus per captivitatem, ut explicat Scholiastes.

Vel ei qui in insulam deportatus est] Pachymeres ad ultimā Dionysii epistolā: δεῖ σε γινώσκειν ὅτι ἡ ὑπὸ τὸν νῆσον ἐξορία παρὰ Ῥωμαίοις κεφαλικὴν τιμωρίαν ἐμιμεῖτο, ἐλέγετο δὲ πορτατίων, καὶ ὁ δυνατὸς ὁ ἀρχὼν

ἄρχων τὴν νῆσον ὀνομάζῃ, εἰ μὴ ὁ βασιλεὺς μόνος. *In insulam deportatio apud Romanos mortis pœnam imitatur, ipsamque insulam præses provinciæ nominare non poterat, sed Imperator solus.*

DE AVCTORITATE TVTORVM.

Sine tutoris auctoritate] Id in notis sic scribitur, S. T. A.

QVIBVS MODIS TVTELA FINITVR.

Sed etiam ex habitu corporis] Qui mos Hebræis in utroque sexu. Hebræis id commune cum Phœnicibus, à quibus Athenas mos ille venit. Aristophanes.

Παίδων τοίνυν δόκιμα ζωμάτων αἰδοῖα παφέξει θεᾶσθαι. ubi Scholiastes. ἦγὸ παίδων τὴν ἡλικίαν δοκιμάζοντες τὰ αἰδοῖα ἐσκόπουν διὰ τὸ δεῖσθαι αὐτῶν εἰς τὸ χρησιμεύειν ἐν τῇ λειτουργίᾳ.

Pubertatem in masculis post decimum quartum annum completum, illico initium accipere disposuimus, antiquitatis normam in feminis bene positam in suo ordine relinquentes, ut post duodecim annos completos, viripotentes esse credantur] Tertullianus de Virginibus velandis: *Tempus etiam ethnici observant, ut ex lege naturæ jura sua ætatibus reddant. Nam feminas quidem à duodecim annis, masculum à duobus amplius ad negotia mittunt, pubertatem in annis, non sponsalibus, aut nuptiis decernentes.* Macrobius de somnio Scipionis. I. 6. *Post annos autem bis septem ipsa ætatis necessitate pubescit, tunc enim moveri incipit vis generationis in masculis, & purgatio seminarum: ideo & tutela puerili, quasi virile jam robur absolvitur, de qua tamen feminæ propter votorum festinationem, maturius biennio legibus liberantur.* Idem Saturnalium VII. 7. *Nec hoc tacebo, quod cùm calor semper generationis causa sit, feminæ ideo celerius quàm pueri fiunt idoneæ ad generandum, quia calent amplius, nam & secundum jura publica*

752607

publica duodecimus annus in femina, & quartus decimus in puero definit pubertatis ætatem.

DE CVRATORIBVS.

Inviti adolescentes curatores non accipiunt] Contrarium constituerat M. Antoninus philosophus, ut in vita ejus docemur.

Furiosi quoque & prodigi, licet majores viginti quinque annis sunt, tamen in curatione sunt agnatorum. Sed solent Romæ præfectus urbi vel prætores, ut in provinciis præsides ex inquisitione eis tutores dare] Scholiastes ad illud Horatii:

interdicto adimat jus
Prætor, & ad sanos redeat tutela propinquos.

bonis interdicit prætor. tutor agnatus esto. Idem: *curator insano datus à prætore.* Vides & hîc quod modò observavimus tutoris nomen pro curatore, & tutelæ pro curatione impropriè sumi.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM.

Plerumque tamen propter liberos] Symmachus epistola 71. libri primi. *Sabinianum clarissimum virum ita magnifico, ut quos maximè colo. Huic per impressionem nequaquam patior fratris sui liberorum tutelæ munus imponi. duobus enim privilegiis amolitur injuriam, maturitate ævi, & filiorum numero.* P. Scipio Censor in oratione quam ad populum habuit, culpabat filium adoptivum tam prodesse quàm si ex se natum habeat. Eo jure semel recepto introductæ adoptiones fictæ, de quibus agit Tacitus annal. xv. ubi & hoc discimus non tantum ad recusandas tutelas jus trium liberorum valuisse, sed etiam in præturis ac provinciis adipiscendis. Scholiastes Iuvenalis ad illud: *Si numerum: si tres: si tres filios fecero: nam à tutela excusant liberi, & in fascibus sumendis, prior est qui præstat numero filiorum.* Cui consequens fuit, ut etiam qui liberos non haberent, jus trium liberorum à principibus

cipibus impetrarent. vide Plinium x. 2. Martialis ad Domitianum:

Quod fortuna vetat fieri, permitte videri,
Natorum genitor, credar ut esse trium.

Idem ad uxorem:

Natorum mihi jus trium roganti
Musarum pretium dedit mearum
Solus qui poterat.

Et constat eos solos prodesse qui in acie amittuntur] Capite septimo legis Iuliæ consulum is prior fasces sumebat, non qui plures annos natus esset, sed qui plures liberos quàm collega, aut in sua potestate haberet, aut bello amisisset. docet nos id Gellius II. 15.

Hi enim qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur] Plautus:

Qui per virtutem perbitat, non interit.

Plinius libro II. epist. 7. cùm narrasset Cottio filio Spurinnæ honorem statuæ habitum, addit: *Rarum id in juvene. sed pater hoc quoque merebatur, cujus gravissimo vulneri magno aliquo fomento medendum fuit. Praterea Cottius ipse tam clarum specimen indolis dederat, ut vita ejus brevis, & angusta, debuerit hac veluti immortalitate proferri.*

Item major septuaginta annis à tutela & cura se potest excusare] Hoc est quod Symmachus modò vocabat maturitatem ævi.

DE SVSPECTIS TVTORIBVS. Vel Curatoribus.

Vide hac de re legem Lotharii in fine legum Langobardicarum, ubi Imperator ad suam curam hoc revocat.

AD

752607

AD INSTITVTIONVM LIBRVM SECVNDVM.

De Rerum Diviſione & Acquirendo ipſarum Dominio.

ET *mare*] Plautus Rudente.

Mare quidem commune certo eſt omnibus.

Et per hoc littora maris] Cicero: *Quid tam commune quàm mare fluctuantibus, littus ejectis?*

Vniverſitatis ſunt, non ſingulorum quæ in civitatibus ſunt theatra, ſtadia] Nam & civitates ſub univerſitatis nomine veniunt. Macrobius 1. 8. *Illa ſola juſta eſt multitudo, cujus univerſitas in legum conſentit obſequium.*

Sacræ res ſunt quæ rite per pontifices Deo conſecratæ ſunt, veluti ædes ſacræ] Varro: *Sic enim ædes ſacra à magiſtratu pontifice præeunte dicendo dedicatur:* ubi magiſtratum Romæ intellige conſulem aut imperatorem, ex Livio libro IX. Trebatius ſacrum definiebat, quicquid eſt quod deorum habetur, apud Macrobium III. 3. Lege autem vetere tribunitia injuſſu plebis conſecrare ædes, terram, aram non licebat. meminit Cicero pro Domo ſua. pontifex finem fabatur, Varrone eodem teſte libro V. & poſtem tenens nuncupabat verba ſolemnia, ut nos docent eadem oratione Cicero, Valerius Maximus V. 10. Seneca conſolatione ad Martiam. id Plutarchus in Puplicola dicit: θυρῶν ἁψάμενος, ὥσπερ ἔθος ἐστὶν, ἐφιέντος τὰς νενομισμένας ὑπὸ τῆ καθιερώσῃ φωνὰς. Magiſtratus dicebat pontifici: *Ades dum dedico ædem hanc, ut mihi præeatis, poſtemque teneatis.* Cicero dicta oratione: *Pontifex regiones nominabat: deinde præibat verba.*

ba. Iuppiter aut quisquis esset deus, templum tibi iis regionibus quas modò animo metatus sum dedico. Addebantur interdum dedicationi leges, cujus rei mentio apud Plinium x. epistola 58. & 59. Tunc præeunte pontifice magistratus ante dedicationem præfabatur: *Iuppiter Optime Maxime, quandoque tibi hodie aram dabo dedicaboque ollis legibus, olliſque regionibus dabo dedicaboque quas hîc hodie palam dixerit.* ut apparet in Salonensibus & Narbonensibus monumentis. Erant autem dedicandi ritus alii Romæ, alii in provinciis, ita ut rescripserit Plinio Trajanus solum peregrinæ civitatis capax non esse dedicationis quæ fieret jure Romano. Christianis temporibus quæ pontificum fuerant, facta sunt Episcoporum: partes autem magistratuum implent reges. Scholiastes ad Horatii Satyram primam: *Sacra tangere, & ab illis quæstum facere prohibebat religio.* Hinc alia significatio sacrorum nata, ut sic dicerentur, qui ob perjurium simile vè scelus numini erant obnoxii, ut notat idem Scholiastes ad Satyram III. libri II. Sic in Romuli legibus: *Nurus sacra esto, cliens sacer esto.* vide Festum, sacratæ leges: Ciceronis orationem pro Balbo, Livium, II.

Et donaria] Per donaria non locum intellige, sed ἀναθήματα. in Papiriano jure apud Gellium III. II. *Ornamenta verò sunt clypei, coronæ & hujusmodi donaria. Neque enim donaria dedicantur eo tempore, quo delubra sacrantur.* Est de talibus donariis liber integer in Epigrammatis Græcis quæ nos Latinè vertimus.

Religiosum locum quisque sua voluntate facit] id est, ad hoc neque magistratu, neque pontifice opus. Religiosum à relinquendo putat dictum Servius Sulpitius apud Macrobium III. 3. Significans ea quæ à nobis remota ac sepositа sunt. quo sensu etiam sacra religiosa dici possunt, ut nos docet idem Servius Sulpitius, & post eum Festus. Sed discriminis causa placuit rebus mortualibus propriam

752607

priam facere religiosi significationem, ut ex titulo Digestorum apparet. Plutarchus cùm dixit in Quæstionibus Romanis: τὰ μὲν ἱερὰ ἱερά, τὰ δὲ ἄλλου ὅσια τοῖς παλαιοῖς ἐδόκει συγχωρεῖν, intelligit diis superis dicata dici sacra, inferis religiosa. *Religiosum sepulchrum*, ait Festus, *ubi mortuus, sepultus aut humatus sit.* Scholiastes Horatii: *Erat antiquitus intolerabile nefas, si quis aliquid inhonestatis in sepulchra patrum peregisset.*

Sancta quoque res veluti muri & portæ civitatis] Sancti quoque vox ambigua est: nam generaliter sumta, & sacrum & religiosum comprehendit, ut nos docet Trebatius: Strictius accepta, id quod neque sacrum sit, neque religiosum, sed tale ut absq; pœna violari non possit, Festo interprete, qui exemplum ponit in muro qui sit circa oppidum. Sic & in collectione grammaticorum veterum: *Inter sacrum, sanctum, religiosum hæc differentia. Sacrum, ædificium consecratum Deo. Sanctum, murus qui sit circa oppidum. Religiosum, sepulchrum ubi mortuus sepultus aut humatus sit.* Sed quod Iustinianus ait portas quoque sanctas esse, id antiquo juri minus congruit. negat enim id planè Plutarchus Romulo. Nam sanctum fiebat solum quo sulcus ducebatur aratro: locus autem portarum transibatur suppresso aratro ut in profano usu maneret. vide Servium. Murorum sanctimoniæ meminit & Plutarchus dicto libro. vide legem ultimam, D. divisione rerum.

Ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus] Macrobius III. 3. *unde & sanctæ leges quæ non debeant pœnæ sanctione corrumpi:* id est quæ corrumpi non debeant, sancita in corruptores pœna. apud Festum in voce Sanctum: *unde & sanctio dicta legum.* Apud Servium: *sanctio latio legis cum terrore pœnæ.* Sanctor legum Servius Tullius apud Tacitum. Erant autem leges omnes sanctæ, quæ

sanctionem haberent, at non omnes sacratæ. *Sanctiones sacratæ aut genere ipso, aut obtestatione, aut consecratione legis, aut pœna, cùm caput ejus qui contrà facit, consecratur.* Cicero pro Balbo, Festus: *Sacratæ leges sunt quibus sanctum est, qui quid adversus eas fecerit, sacer alicui deorum sit cum familia pecuniaque.* Scholiastes ad illud Horatii: *Sanctarum inscitia legum. Aut participium est à Sancio, id est firmatarum: aut sanctarum, id est sacrarum, ut fœdus sanctum dicitur & sacrum.*

Et pisces] Plautus Rudente.

Ecquem esse dices in mari piscem meum?
Quos cum capio, siquidem cepi, mei sunt, habeo pro meis;
Nec manu asseruntur, neque illinc partem quisquam postulat:
In foro palam omnes vendo, pro meis venalibus.

Deinde:

Meum quod rete atque hami nacti sunt, meum potissimum est.

Nec interest feras bestias & volucres utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno: planè qui alienũ fundũ ingreditur venandi aut aucupandi gratia, potest à domino si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur] Mirum quàm hæc conveniant cum traditionibus Hebræorum, quæ ex Maimonide juris Hebraïci doctissimo, explicat ipse juris non Hebraïci tantum & Romani, & Anglici, sed omnis omnino doctissimus Ioannes Seldenus libro VI. de jure naturali juxta disciplinam Hebræorum, cap. 4.

Illud quæsitum est, an si fera bestia ita vulnerata sit, ut capi possit, statim tua esse intelligatur] Iure Langobardico fera ab aliquo vulnerata illius manet per horas XXIV. interea si quis alius eam ceperit, tollit dextrum armum cum septem costis. libro I. tit. XXII. Radevicus qui Ottonis Frisingensis historiam est persecutus, in hac quæstione distinguit inter carnem venaticam & leporariam.

Quod

752607

Quod multa accidere soleant, ut eam non capias] Cato Censorius dixit inter os & offam multa intervenire posse, quod idem valet isti adagio Græco:

πολλὰ μεταξὺ πέλῃ κύλικος & χείλεος ἄκρου.

ut ex Sulpitio Apollinari se didicisse ait Gellius XIII. 16. Vide quæ diximus II de jure Belli ac Pacis VIII. 3. & in annotatis, ubi habes voces excitandi & agitandi, quas venatui esse proprias etiam ex Cicerone Officiorum III. discas.

Examen quoque quod ex alveo tuo evolaverit, eousque intelligitur esse tuum, donec in conspectu tuo est, nec difficilis persecutio ejus est] Inter declamationes quæ institutionibus Quintiliani subjungi solent, est una de apibus pauperis depascentibus flores divitis, quos flores dives ob id veneno sparsit, unde apes periêre: ubi pauper examen id vernaculum vocat, & ex libero ait transiisse in jus privatum, quia scilicet sponte sua domum revolarent finemque laboris sui sole metirentur, quia quam dominus dedit incolerent sedem, quia fuga tinnitu compescerentur. Multa alia sunt in ea declamatione, quæ definitionis ejus quam hîc habemus, causas ostendunt. Baiwarii, si avolasset examen ad alienam arborem aut vas, jubebant priorem possessorem fumo ac tinnitu eas, si posset, ejicere, ut quod apum remansisset, id ejus esset in cujus arbore aut vasculo reperirentur. At lex Langobardica libro I. tit. XXV. cap. 37. in apibus quæ de arbore eximuntur, distinguit inter arborem signatam, & non signatam, ut ex hac eximere apes liceat, de illa non liceat. Cæterum Plinius historiæ naturalis VIII. 5, apes ait nec placidas esse, nec feras, sed mediæ naturæ. Pari loco habet lepores, hirundines, delphinos. vide eundem XI. 5.

Ideoq; si anseres tui, aut gallinæ tuæ aliquo modo turbati turbatæve evolaverint, licet conspectũ tuũ effugerint,

rint, quocunque tamen loco sint, tui tuæve esse intelliguntur] Apes feræ esse naturæ non item gallinas & anseres ait Maimonides. de columbis distinguunt Hebræi, ut extra triginta stadia à columbari capi queant, non intra. vide Baba Kamma Constantini l'Empereur VII. 7. & X. 11.

Item ea quæ ex hostibus capimus jure gentium statim nostra fiunt] Hoc quomodo intelligendum sit, vide quæ diximus libro III. VI. 8. & sequentibus, de jure Belli & Pacis.

Insula quæ in mari nata est (quod rarò accidit) occupantis fit] Non parvas tantum, sed & magnas insulas emergere subsidente maris alveo docet Strabo libro I. Sic exstitere olim Echinades, quas Acarnanes & Ætoli in commune possederunt, tradente Dionysio Halicarnasseo libro I. Sic per terræmotum mare circa Cretam subsedisse ad stadia ferme septem, enatamque insulam novam medio situ inter Cretam ac Theram narrat Philostratus vitâ Apollonii IV. 11. Sic in Ponto Leucen exstitisse insulam in Heroïcis, ubi de Neoptolemo agit, alter tradidit Philostratus. Adde si placet de similibus insulis Dionem Cassium libro LV. Eusebium anno CIↃ IↃCCCXCII & CIↃ CIↃ LX: Senecam Naturalium II, 25, VI. 1. Plinium II. 88. III. 9. IV. 12. Victorem Claudio. Orosium IV. 20. Livium libro XXXIX. Iulium obsequentem.

At ne mulsum quidem ad vinum & mel resolvi potest] Sic aliud esse μέλι καὶ ὕδωρ, aliud τὸ ἐκ μέλιτος ϛ ὕδατος, ait Aristoteles Topicorum VI. 6. talia sunt quæ χωρίζεσθαι ἐνεργείᾳ, ἃ μὴν ὑποστάσει, ait ex Methodio Photius.

Si duorum materiæ ex voluntate dominorum confusæ sunt] Promiscuè usurpat Imperator, ut & Vlpianus. l. idem, D. de rei vind. mixtionem & confusionem: Græci dicunt μίξιν & σύγχυσιν, Aristoteles, μίγνυται, inquit, ὧν τὰ ἔσχατα ἐναντία. *Miscentur*, inquit, *quorum extrema inter se sunt contraria*,

752607

traria, de sensu 7. & fine libri primi de genitu & interitu mixtionem ait esse τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσιν, ubi mixta mutata unum fiunt. Fieri autem mixtionem ex iis quæ in agendo repugnantiam quandam habent, ac proinde à se mutuò pati possunt, si ea scilicet & facile terminabilia, & facile dividua sint: tunc autem, cum partes minimæ quæ quidem in sensum cadunt, nihil retinent incompositum. Hujus generis species quædam est quæ κρᾶσις dicitur, id est temperatura. ὅτε γὰρ ἡ μίξις ἅπασα, κρᾶσις. οὐ γὰρ τῶν ξηρῶν μίξις, οὐκ ἔστι κρᾶσις, ait Aristoteles Topicorũ 41. *non omnis mixtio temperatura est: nam siccorũ non est temperatura.* At Iurisconsulti latius usurpant mixtionis vocabulum, etiam ubi partes minimæ, quæ videri possunt, naturam propriam retinẽt, sive id fiat ἐκ συνεχῶν sive ἐκ διεχῶν, ex cohærentibus, sive ex non cohærentibus. Alio quam diximus sensu hæc tria, σύγχυσιν, μίξιν, κρᾶσιν, explicat Philo de linguarum confusione. τίς δέ ἐστιν ἡ σύγχυσις ἐρεωπτέον. πῶς ἂν ἐρεωήσομεν ἔτως ὡς γε μοι φαίνεται· πολλάκις δὲ πρότερον καὶ ἤδη μὲν, ἀπὸ τῶν συγχυῶν καί τινα πρὸς αὐτοὺς ἐχόντων ἐμφέρειαν, ἐγνωρίσαμεν. ἐκεῖνο δὲ πρόσεστι τῷ αὐτὸν τρόπον ἃ μὴ ῥᾴδιον ἐξ ἑαυτῆς καταλαμβάνεσθαι, ἄλλα γίνονται ἂν, καὶ τῶν οἰκείων αὐτῆς ὁμοιότητα· τίνα οὖν ἐστι συγχύσεως πράγματα ὅμοια; ἡ μίξις, ὥσπερ ὁ παλαιὸς λόγος ἡ κρᾶσις. ἀλλ' ἡ μὲν μίξις ἐν ξηραῖς, ἡ δὲ κρᾶσις ἐν ὑγραῖς οὐσίαις δοκιμάζεται. μίξις μὲν οὖν σωμάτων διαφερόντων ἐστιν, ὅτε ἐν κόσμῳ παράθεσις, ὥσπερ ἂν εἴ τις χωρὶς ποιήσαι κριθὰς καὶ πυροὺς καὶ ὀρόβους, καὶ ἄλλα τὰ εἴδη τῶν σπερμῶν εἰς ταυτὸν εἰσενεγκών· κρᾶσις δὲ παράθεσις, ἀλλὰ τῶν ὁμοίων μερῶν εἰς ἄλληλα εἰσδυομένων δι' ὅλων ἀντιπαρέκτασις ἐπιδιαμενόντων ὁπωσοῦν τινι διακρίνεσθαι τῶν ποιοτήτων, ὡς ὅπερ οἶνος καὶ ὕδατός φασι γίνεσθαι. σωζηθούσας μὲν γὰρ τὰς οὐσίας ἀποτελεῖν κρᾶσιν· τὸ δὲ κραθὲν, οὐδὲν ἧττον ἀποπληροῦσθαι εἰς τὰς ὅλας ἂν ἀπετελέσθη

ποιότητας· ἀσόφιστο γὰρ ἁλαιωμένῳ, τὸ μὲν ὕδωρ ἀναμεμίχθαι, τὸ δ' οἶνον ἀπολείπεσθαι· μήποτε, ἐπεὶ δήπου ἐξ ὕδατος ἡ ἀσυγίας γένεσις ὅτι, τὸ μὲν οἰκεῖον ὕδωρ πέφυκεν ἀναμεμίχθαι πρὸς αὐτὴν ἐκ τοῦ κράματος, τὸ δ' ἀλλότριον ἀπολείπεσθαι, ὁ οἶνος. σύγχυσις δέ ἐστι φθορὰ τῶν ἐξ ἀρχῆς ποιοτήτων πᾶσι τοῖς μέρεσιν ἀντιπαρεκτεινομένων εἰς διαφερούσης μιᾶς γένεσιν, ὡς ὅπερ τὸ ἐν ἰατρικῇ τετραφαρμακον σωνετέτευχε. κηρὸς γὰρ καὶ πίττα ῥητίνη τε, εἶμαι, συνεζόντα, ταυτὶ ἀποτελεῖ. συνδεθείσης δ' ἁμήχανον ὅπως τὰς ἐξ ὧν συνέστη διακριθῆναι δυνάμεις, ἀλλ' ἐκφύσει μὲν ἂν τὸ ἠσανίδη. πασῶν δ' φθορὰ μία ἂν ἐξαίρετον ἄλλῳ ἐγένησε δύναμιν. *Quarendum quid sit confusio. Id quomodo quaremus? Sæpe quos homines antè non vidimus, eos cognovimus ex cognatis aut aliis aliquam cum ipsis similitudinem habentibus. Sic & res quæ non facile per se cognosci possunt, manifestæ fiunt, ex rerum affinium similitudine. Quæ igitur sunt res confusioni similes? mixtura, ut fert veterum sermo, ac temperatura. Harum mixtura in aridis, temperatura in humidis naturis spectetur. Mixtura igitur est corporum differentium sine ordine inter se appositio, ut si quis acervum facit hordeo, tritico, ervo, satisq; aliis in unum conjectis locum. Temperatura verò non appositio est, sed partium diversarum in se mutuò penetrantium per totum extensio, ita ut arte quadam qualitates discerni possint, ut in vino & aqua dicitur fieri. nam ex his naturis coëuntibus fieri ajunt temperaturam: quod autem temperatum est, nihilominus recuperare eas ex quibus constitit qualitates. nam à spongia oleo illita, aquam assumi, vinum derelinqui. An forte, quia spongiæ origo ex aqua est, ideo quod sibi cognatum est, aquam ex temperatura sibi solet assumere, quod verò alienum est, id est vinum, relinquere? At confusio est interitus originalium qualitatum omnibus rei partibus coëxtensarum ad productionem unius rei diversæ, quod contingit in eo quod medici tetrapharmacum vocant. nam cera, & adeps, & pix, & resina, ni fallor, inter se coëun-*

752607

coëuntia id efficiunt. quod ubi sic concrevit fieri amplius nequit, ut discernantur qualitates ex quibus compositum est, sed illarum periere singulæ: omniũ a interitus unam vim produxit ab illis diversam. In hoc loco μίξις est confusio distantium, contrà συγχυσις est mixtio talis quę resolvi potest, κρᾶσις talis mixtio quæ resolvi nequit. Proclus ad Timæum: ἔτι δ' ὧν οἱ τὰ συμφθειρόμενα παραφέροντες, ὥσπερ τὸν τῶν μέλιτι κεκραμένων οἶνον. τοῦτο γὰρ ἂν ἔτι ἐστὶ τῆς κράσεως γλυκαίνης. ἡμεῖς δὲ ὀπτζητοῦμεν οὐχ ὅπως φθαρήσεται τὰ σώματα, τοῦτο γὰρ ἀδιάφορον· ἀλλ' ὅπως μένοντα πρὸς ἄλληλα συναρμοσθήσεται. nec satisfaciunt qui exempla hic afferunt eorum quæ pariter corrumpuntur: nam temperaturâ factâ hæc in sua natura non manent. at nos quærimus, non quomodo simul pereant res, in quo nihil est miri, sed quomodo manentia quod sunt, sibi mutuò coaptentur. Hic κρᾶσις, ut apud Aristotelem est μίξις ὑγρῶν, mixtio liquidorum. Chalcidius vero in Timæo: Proprium verò hoc ejus naturæ, quæ est sine corpore, ut dulcedinis, quæ pervadit melleum corpus, ut lucis quæ corpus aërium penetrat. Nam si hæc corpora essent, ut applicata corpori, vel mixta vel concreta inveniren-tur. Sed applicata non sunt hæc, corpus animæ (ita legendum) nec anima corpori. Nec enim ex applicatione ejus vita corpori provenit, sed quia anima per omnes se diffundit partes. Nec verò ex permixtione non enim esset unum quiddam anima, sed multa commixta. Sed nec ex concretione: nullum enim corpus aliud penetrare corpus valet usquequaque. Non ergo anima corpus est, vel corporeum aliquid, ut quidam putant. sine corpore igitur. Quò in loco applicata videntur dici quæ in L. rerum, D. de usucap. & usurp. & apud Achillem Tatium ad Aratum vocantur σωρηδὸν, in quibus est & acervus lapidum, aut frugum: Concretionis nomine κρᾶσις intelligi: permixtionis nomine id quod Aristoteli μίξις, & κρᾶσις. Vides quàm

variè apud philosophos voces istæ usurpentur, itaque ne ambiguo fallamur, pluribus vocabulis uti erit opus.

Propter legem duodecim tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur] Pari ratione Adrianus vetuit domos dirui transferendæ materiæ.

Bona fide fundum emerit] Non tantum in fructibus, sed & in usucapione discernitur bona & mala fides. Augustinus de fide & operibus: *Sicut in jure prædiorum tam diu quisque bonæ fidei possessor rectissimè dicitur, quàdiu se possidere ignorat alienum. Cum verò sciverit nec ab aliena possessione recesserit, tũ malæ fidei perhibebitur, tũc justè injustus vocabitur*

Partus verò ancillæ in fructu non est] Hinc solve quæstionem in Ammiani Epigrammate propositam, quod epigramma legitur Anthologiæ libro II. tit. 46.

ἡμετέρη δεσπότιν ἔφυγε ποτε. ἣ δέ τις οὖρεν,
ἀλλοτρίῳ τ' εἶναι λάτριν ὀπτασίμψος
ζεῦξεν ἑῷ δεσπότῃ. τίκεν δ' ὑπὸ παῖδας ἑαυτῇ,
καὶ τίνι δουλοσύνῃ εἰσι δικαιότερον;

Ancillam, de me quæ fugerat, excipit alter,
Utque suo servo sit quasi nupta facit,
Sed gnarus non esse suam, parit illa marito.
Illius ad partus jus habet, inquit, uter?

Stultum describit Rhetorem, qui in re planissima hæsitaverat. Partus enim servilis matrem sequitur. hîc verò nec bona fide ancillam possederat, quod si etiam bona fide eam possedisset, tamen partus in fructu non habetur. quod nunc quidem certum est, sed olim controversum fuit, ut ex Cicerone primo de finibus apparet, & eò respicit quod infra est de usucapionibus, § 5.

Thesauros quos quis in loco suo invenerit, Divus Hadrianus naturalem æquitatem secutus, ei concessit qui eos invenerit] Et ante eum Nerva Attico, qui pater fuit Herodis oratoris, cujus vitam

scripsit

752607

scripsit Philostratus, cùm is Atticus ei scripsisset: *Thesaurum, Imperator, domi meæ inveni, quid de eo faciendum esse jubes?* Respondit: *utere repertis*: & cùm Atticus perstans in sua scrupulositate scripsisset iterum, majorem esse thesaurum quàm pro suæ fortunæ modo, respondit iterum: *Abutere ergo lucro, quando tuum est.* Cæterùm de variis legibus moribusque circa thesauros, vide quæ notavimus de jure Belli ac Pacis Libro II. VIII. 7.

Cui conveniens est ut si quis in fiscali loco, vel publico, vel civitatis invenerit, dimidium inventoris esse debeat, & dimidium fisci vel civitatis] Rex Theodoricus in sepulchro repertos thesauros publico vindicari voluit, ut videre est apud Cassiodorum IV. 34. imò & alibi repertos VI. 8. Sine damno enim, inquit, inventa perdit qui propria non amittit.

Rem pro derelicto à domino habitam] Habitam derelictui, ut loquitur M. Cato Consorius apud Gellium IV. 12.

Alia sane causa est earum rerum, quæ in tempestate levandæ navis causa ejiciuntur: hæ enim dominorum permanent, quia palam est eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, sed quo magis cum ipsa navi maris periculum effugiat. qua de causa si quis eas fluctibus expulsas, vel etiam in ipso mari nactus lucrandi animo abstulerit, furtum committit] Benè hoc intellexit in Rudente Plautina Dæmones qui vidulum à servo suo in mari inventum alienum esse judicat, non suum. Actus IV. Scena II.

DE REBVS CORPORALIBVS & Incorporalibus. Tit. 2.

Græci dicunt σῶμα & ἀσώματον. Corpus autem definiri solet aut ab effectu: ut

Tangere vel tangi, nisi corpus, nulla potest res,

apud Laërtium. unde explicanda illa quorundam philosophorum definitio: τὸ δρώμενον ἢ πάσχον σῶμά ἐστι, *quod agit aut patitur corpus est*: aut ex partibus: τὸ τριχῇ διαστατὸν quod terna dimensione constat, quod sequitur Philoponus in Proclum. Vide Gellium v. 15. Cicero minus accuratè in Topicis esse ea sola vult, quæ cerni tangive possunt. itaque σῶμα solum vocavit ὄν.

Fundus, homo, vestis] In Theophilo hîc pro οἰκία, scribendum οἰκέτης, ut & ex hoc Latino, & ex iis quæ apud Theophilum sequuntur, apparet.

DE SERVITVTIBVS PRÆDIORVM.

Iter] Apparet dictum ab itu, unde & semita, quasi semi-iter, ita Varro libro IV. Martialis:

Quæ fuerat quondam semita, facta via est.

Actus] *Quo agebant, actus.* Varro ibidem: & alibi: *Actus iter in agris, quod agendo teritur.* agere sume, ut apud Virgilium:

en ipse capellas
Protinus ager ago.

explicat Festus iter inter vicinos quatuor pedum latum. actus via duplicata, Servio ad IV. Æneidos.

Via est jus eundi, & agendi, & ambulandi] Legendum videtur *vehendi.* nam ambulare est ire: & via præter id quod iter & actum comprehendit, proprium habet jus vehendi. Varro: *Sic qua vehebant, via dicta.* & alibi: *Via quidem iter quod vehendo teritur.* Isidorus: *Via dicta à vehiculorum incursu.* Vetus scriptio fuit veha à vehendo, ut veches, vehiculum. vehere autem ex Græco ὀχεῖν.

Ut vicinus onera vicini sustineat] Hoc Theophilus generaliter accipit, cùm sit species quædam servitutis, L. cùm debere, D. de Servitutibus prædiorum urbanorum,

Stillicidium vel flumen recipiat] Varro libro quarto:

752607

quarto: *Fluvius quod fluit. item flumen à quo lege prædiorum urbanorum scribitur: stillicidia fluminaque uti fluunt caduntque* (sic legendum) *ita fluant cadantque. inter hæc hoc interest, quod stillicidium, eò quod stillatim cadat: flumen, quod fluit continuè.*

DE VSVFRVCTV. TIT. IV.

Ususfructus est jus alienis rebus utendi fruendi] Donatus ad illud Adelphis: *Huic demus qui fruatur: id est, qui fructum capiat, non proprietate potiatur: propriè ergo & quasi de jure dixit, fruatur.*

Quasi usumfructum constituit] Non debet id mirum videri, cùm & philosophi quidam defenderint usum à dominio nihil differre. Vide Horatium II. epistola II. & ibi Scholiasten. Qui sic sentiebant, sub utendi nomine comprehendebant & alienationem & abusionem.

DE VSVCAPIONIBVS, ET LONGI Temporis Præscriptionibus. Tit. V.

Vult Gellius dici *ususcapio* quomodo *pignoriscapio* copulato vocabulo VII. II. Sed rectius est *usucapio*. non enim usus capitur, sed usu res capitur. Horatius.

Quædam, si credus consultis, mancipat usus.

Scholiastes: *Proprietas emtione, usucapione.* Isidorus: *Usucapio est adeptio dominii per continuationem justæ possessionis, vel biennii, vel alicujus temporis.* & ita usu capere dicitur, sicut usu perdere apud Plautum Amphitrione.

Res quidem mobiles per triennium] Olim per biennium. Plinius lib. v. epist. I. *Scis te non subscripsisse mecum, & jam biennium transisse, omniaque me usucepisse.*

Et lex Atilia] Scribendum Atinia, ut in l. non solùm, in pr. D. hoc titulo: & sic nominat Gellius XVII. 7. qui & verba ejus legis adfert huc pertinenttia: *quod surreptum erit, ejus rei æterna auctoritas*

ctoritas esto. ubi auctoritas est jus vindicandi. *Lex auctoritatem fundi jubet esse biennium.* Cicero pro Cecinna, & in Topicis.

DE DONATIONIBVS. TIT. VII.

Et apud Homerum Telemachus donat Piræo] Homeri hac de re versus sic vertere liceat:

Cùm Piræe homines lateant secreta futuri,
Si me fortè proci scelerati ad Styga mittant
Insidiis, patriasq; velint erciscere prædas.
Hæc ego præ reliquis multo tibi cedere malim.
Sin ego eos justis prosternam cladibus ultor,
Hæc mihi tu gaudens media inter gaudia reddas.

Est & mortis donatio in Alcestide Euripidis, ubi sic Hercules:

χωρῶμεν τῶνδέ μοι σῶσαι λαβών·
ἕως ἂν ἵππους δοῦλος Θρῄκας ἄγων
ἔλθω τύραννον Βιστόνων κτανὼν.
σοφάζας δ' ὁ μὴ τύχοιμι, νοσήσαιμι γὰρ,
δίδωμι τῶνδε σοῖσι πρόσπολον δόμοις.

capesse hanc feminam, ac serva, precor,
Huc donec iterum Thracas adducens equos
Veniam, tyranno Bistonum misso neci.
At si, quod utinam ne sit, eveniat mihi,
Famulam futuram laribus hanc dono tuis.

Ad quingentos solidos] Aureos scilicet Iustinianeos. qui nunc valent duos scutatos, sive coronatos.

QVIBVS ALIENARE LICET, vel non. Tit. VIII.

Nunc admonendi sumus, neque pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse, ideoque si mutuam pecuniam sine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis] Alienationis vox hîc in nativo ac generalissimo significatu sumitur. Sic qui pecuniam facit accipientis, eam alienare dicitur. item qui solvit, l. obligari, §. pupillus,

D. de

752607

D. de auctoritate tutorum, l. ejus, D. de rebus creditis. Solet autem eadem vox alienationis sæpe pro materia de qua agitur, strictius sumi. Facit accipientis pecuniam qui eam mutuam dat, ita si dandi jus habuit, l. rogasti §. ult. D. de rebus creditis. nummi qui accipientis fiunt, à dante alienantur.

DE TESTAMENTIS ORDINANDIS. Tit. X.

Testamentum ex eo appellatur quod testatio mentis sit] Similis allusio potius quàm ἐτυμολογία, apud Plutarchum de Iside: Ἴσειον ὡς εἰσόψιον τὸ ὄν. & apud Priscianum: *Argumentatio dicta est, quasi argutæ mentis oratio.* est autem testamenti definitio apud Quintilianum patrem voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis. Donatus ad Phormionem. *Nemo moriens non vera loquitur & urgentia, unde in jure vltima judicia certiora sunt.*

Olim quidem duo testamentorum genera in usu fuisse] Hæc duo, id est calatis comitiis, & in procinctu, ut & quod sequetur tertium per æs & libram, sive per familiæ emancipationem habes & apud Gellium diligentem veterum jurisconsultorum lectorem XV. 27.

Calatis comitiis] In Glossis: *calata comitia* ἀρχαιρέσια διὰ τῶ ἔτους γινόμενα.

In procinctu] Meminit Cicero de natura deorum II. & de oratore.

Per imaginariam quandam venditionem Plutarchus libro de sera numinis vindicta hanc legem adfert in exemplum earum quæ in specie absurdæ videri possunt. origo inde quod emtio vetustissimus alienandi modus. inde factum ut omnes alienationes ad modum emtionis peragerentur. Vide suprà quibus modis jus patriæ potestatis solvatur. Scholiastes ad illud Horatii:

Si proprium est, quod quis libra mercatur & ære.

& hæc

& hæc verba sunt juris, quibus emtio confirmatur, cùm per libram expensa pecunia, per æs ipsum pretium demonstratur: unde & libripens hujuscemodi testificationibus adhiberi solet.

Possunt autem omnes testes & uno annulo signare testamentum] Capito apud Macrobium VII. 13. *Veteres non ornatus, sed signandi causa annulum secum ferebant. unde nec plures habere quàm unum licebat, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret, quæ signaculo continetur. ideo jus annulorum famuli non habebant.*

Sed neque mulier] Non mirum mulieres ad testimonium circa testamenta non adhibitas, cùm vetustissimo jure testamenti faciendi jus non haberent, ut Gellius nos docet VI. 7. Nam & comitiorum nulla erat cum feminis communio, ut idem habet Gellius V. 19.

Legatariis autem & fideicommissariis, quia non juris successores sunt, & aliis personis eis conjunctis testimonium non denegamus] Symmachus libro X. epist. 55. *Dehinc cum testamenti jure confecti fidem recitatio publicaret, calumnia inanis objecta est, quod signatores nescio quid legati ex eadem voluntate cepissent.*

In aliis locis vel suis ædibus degunt] *In suis sedibus degunt.* Ita legit Theophilus, qui vertit, ἐν τοῖς ἐγχωρίοις ἰδίοις σεδέτοις. Sedes Latinè, Græcis corrupta voce σέδετα, sunt castra stativa. Suidas, σέδετον τὸ φωσατόπον.

QVIBVS NON EST PERMISSVM Facere Testamentum. Tit. XII.

Et præcipuè militibus qui in potestate parentum sunt, quibus de eo quod in castris adquisierunt, permissum est ex constitutionibus principum testamentum facere] In Satyra ultima apud Iuvenalem:

Solis præterea testandi militibus jus
Vivo patre datur. nam quæ sunt parta labore,
Militiæ,

752607

Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater.

Præterea testamentum facere non possunt impuberes] Exceptis Vestalibus, quibus id permissum sexto anno, dicit Sozomenus.

DE HEREDIBVS INSTITVENDIS. Tit. XIV.

Hereditas plerunque dividitur in duodecim uncias, quæ assis appellatione continentur] Scholiastes Horatii: *Assem, totum patrimonium. As vel assis, id est libra, quæ dividitur in duodecim uncias, cujus partes sunt hæ: deunx, dodrans, labus, seu dextans, bissis, seu bessis, septunx, semis, quincunx, triens, quadrans, biens, uncia.* In Glossis, as, ἄπαξ. Esse ex Siculo ᾶς & ᾶς pro εἷς, monuit peritissimus talium Salmasius, & pro unitate sumi. Consors in asse, apud eundem Horatii Scholiasten. Fortè as est æs, sicut assiduus ab ære dando, Ciceroni Topicis.

Idemque erit si dupondius expletus sit] Id est as alter. nam idem as & pondo. Scholiastes Persii ad Satyram II. *Fuit autem assis libralis, & dupondius, quod hodie in usu remanet.*

Si plures conditiones institutionibus adscriptæ sunt] Additur in vetere codice, *quæ perfuerint:* fortè, *quæ perfici potuerint.*

Veluti si fratris filios peregrinantes, ignorans quæ essent, heredes instituerit] Legendum est, *peregrinatos.* Nec aliter legit Theophilus.

DE VVLGARI SVBSTITVTIONE. Tit. XV.

Appianus civilium II. ἔθος ἦν τοῖς Ῥωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρους εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. *Mos erat Romanis heredibus institutis asscribere & alios, si fortè priores illi heredes*

redes non forent. Scholiastes Horatii: *Institutio in primo versu, substitutio in secundo.*

DE PVPILLARI SVBSTITVTIONE Tit. XVI.

Igitur in pupillari substitutione secundùm præfatum modum ordinata, duo quodammodo sunt testamenta, alterum patris, alterum filii] Cicero de inventione II. quæstione proposita, an pupillo herede instituto, & mortuo priusquam in suam tutelam veniret, bona quæ pupillo aliunde venerunt, ad agnatos pupulli pertineant, an ad substitutos à patre testatore, sic ait: *Pater sibi scripsit, & secundum heredem non filio, sed sibi jussit esse.* Adjicit mox: *Non est una pecunia, propterea quod altera jam erat pupilli adventitia, cujus heres non, illo in tempore, in testamẽto scriptus erat, si quid pupillo accidisset: & de altera, patris etiam nunc mortui voluntas plurimum valebat, quæ jam mortuo pupillo suis heredibus concedebat.*

QVIBVS MODIS TESTAMENTA Infirmentur. Tit. XVII.

Ex eo autem solo non potest infirmari testamentum, quod postea testator id noluerit valere] Plinius V. epist. 5. de C. Fannio: *Angit me super ista, casus ipsius: decessit veteri testamento: omisit quos maxime diligebat, prosecutus est quibus offensior erat.*

Divi Pertinacis oratione cautum sit, ne alias tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, nisi sequentes jure ordinatæ & perfectæ fuerint] Vide vitam Pertinacis. Statuit autem hoc Pertinax ex jure antiquo: patet Quintiliani declamatione CCCVIII. *Sublatum dicunt prius testamentum posteriore testamento. Neque ego inficior, si jure factum sit testamentum, hoc est, si testamentum est, potentissimam esse defuncti proximam quamque voluntatem. Sed nego ullum postea factum testamentum. Quid enim est testamen-*

752607

testamentum? ut opinor, voluntas defuncti consignata jure legibusque civitatis. Non dixerim ego testamentum, cui numerus signatorum deest: Non dixerim testamentum, cui libripens & emptor familiæ, & cætera juris necessaria. Plura ibidem habes huc pertinentia.

Eadem oratione expressit, non admissurum se hereditatem ejus, qui litis causa principem reliquerit heredem] In vita ejus scribitur non agnovisse eum testamentum per quod necessarii privabantur: & de Adriano ac Pio legimus ignotorum hereditates eos repudiasse, notorum, ita si liberos haberent. Cogitabant hi scilicet quod apud Tacitum in Agricola est, à bono patre non scribi heredem nisi malum principem. Præiverat exemplo Trajanus, de quo in Panegyrico, id est in optimi Principis descriptione, Plinius: *In eodem genere ponendum est, quod testamenta nostra secura sunt: nec unus omnium nunc, quia scriptus heres.* postea: *Scriberis ab amicis, ab ignotis præteriris.* Additque: *Tene, Cæsar, hunc cursum, & probabitur experimento sit ne feracius & uberius, non ad laudem modò, sed ad pecuniam principi, si herede illo homines mori velint, quàm si cogantur.* Cæsar Augustus juravit se Arii hominis locupletis hereditatem non aditurum. Seneca de Clementia 1. 15.

Neque ex ulla scriptura cui juris auctoritas desit] Plinius: *Non tu falsis, non tu iniquis tabulis advocaris.*

Licet enim, inquiunt, legibus soluti simus, attamen legibus vivimus] Nempe cum privatis. Imperatori hoc præstat potestas legibus soluta, ut testamentum ejus quomodocunque factum valeat: sed ut alterius testamentum non jure factum valeat, efficere non potest. Facta infecta fieri nequeunt. At hic ipse Iustinianus qui hoc jus condidit, & ex epistolis, & ex illegitimis testamentis hereditates adiit plurimas, ut in arcana historia

Proco-

Procopius nos non uno loco docet. Adeo etiam in his rebus:

χαλεπὸν τὸ ποιεῖν, τὸ δὲ κελεῦσαι ῥᾴδιον.
Consulere facile est: facile non est exsequi.

Cobarus apud Curtium ait in suo quemque negotio hebetiorem esse quàm in alieno. turbida fieri consilia eorum qui sibi suadent. Propterea monent sapientes in nostro negotio cogitare nos debere, quid judicaturi essemus, si id esset alterius.

De Inofficioso Testamento. Tit. XVIII.

Vna quarta eis dari possit, ut ea pro rata eis distribuatur] Annotatur in veteri codice: *pro virili portione quarta.*

De Heredvm Qvalitate & Differentia. Tit. XIX.

Sui autem & necessarii heredes sunt, veluti filius, filia] Ovidius ad Messalinum:

Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et res heredem repperit illa suum.

Plinius Panegyrico: *Non enim servulis tuis dominum, ut possis esse contentus quasi necessario herede, sed principem civibus daturus Imperator.*

Et vivo quoque patre quodammodo domini existimantur] Rom. IV. 13. *εἰ γὰρ τέκνα καὶ κληρονόμοι. Si filii, utique & heredes.* Sic bona Abrahami, bona posterorum ejus, inter quos Levi Hebr. VII. 10. Hoc sensu decimato Abrahamo decimatur ejus posteritas. Terentius Heautontimorumeno:

gnatum unicum
Quem pariter uti his decuit, aut etiam magis.

Et passim in comœdiis servi dominorum filios heros minores vocant. Et Telemachi subulcus dicitur Odysseæ P. qui erat Vlyssis.

Sed sive is, cui abstinendi potestas est, immiscuerit se bo-

752607

se bonis hereditatis, sive extraneus, cui de adeunda hereditate deliberare licet, adierit, postea relinquendæ hereditatis facultatem non habet] Chrysostomus in epistolam ad Galatas v. 3. ὅτως καὶ ὅτι τῆς ἔξωθεν κληρονομίας, ὁ μὲν μηδὲν ἁψάμενος παντὸς ἀπήλλακται τοῦ ὑποχρεμένου τοῦ κλήρου τοῦ τετελευτηκότος φορτίου. ἂν δέ μικρόν τι χωρίσῃ, καὶ μὴ πάντα λάβῃ, πᾶσιν ἑαυτὸν ὑπόδυνον κατέστησε διὰ τοῦτο μέρους. *Nam sic & in gentium hereditatibus, qui nihil attigit, liber est ab omnibus actionem in hereditatem habentibus: quod si paulum aliquid subduxerit, etiamsi non accepit omnia, per partem omnibus se fecit debitorem.*

DE LEGATIS. TIT. XX.

Per vindicationem] *Habeto*, aut verbis similibus. Scholiastes ad Satyram I. libri secundi Horatiani: *Habento: habeant. vide ut directis Iurisconsultorum verbis utitur ad Trebatium Iurisconsultum.*

DE LEGE FALCIDIA. TIT. XXII.

Quarta pars apud heredem remaneat] Plinius v. epist. 1. *Si mater, inquam, te ex parte quarta scripsisset heredem, num queri posses? quid si heredem quidem instituisset ex asse, sed legatis ita exhausisset, ut non amplius apud te quàm quarta remaneret?*

Cùm autem ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum] Quintilianus pater declamatione CCLXXIII. *Bona porrò quæ sunt? ut opinor, ea quæ detractis alienis deprehensa sunt.*

DE FIDEICOMMISSARIIS HEREditatibus, & ad Senatusconsultum Trebellianum. TIT. XXIII.

Exempla habemus passim. unum illustre apud Plinium X. 78. *Domine, Largus ex Ponto nondum mihi*

hi visus, ac ne auditus quidem, sed judicio tuo credens, dispensationem quandam mihi erga te pietatis suæ ministeriumque mandavit. Rogavit enim testamento ut hereditatem suam adirem, cerneremque, ac deinde perceptis quinquaginta millibus nummûm, reliquum omne Heracleotarum & Theanorum civitatibus redderem. Seneca de tranquillitate cap. XI. *Sed omnia tam diligenter faciet, & circumspectè, quàm religiosus homo sanctusque solet tueri fideicommissa.*

Pegaso & Pusione consulibus] Scholiastes ad Satyram Iuvenalis IV. *Pegasus Trierarchi filius, ex cujus Liburnâ paraſemo nomen accepit, juris studio gloriam memoriæ meruit, ut liber vulgò, non homo diceretur. Hinc functus omni honore, cum provinciis pluribus præfuisset, urbis curam administravit. Hinc est Pegasianum Senatusconsultum.*

DE SINGVLIS REBVS PER FIDEIcommissum relictis. TIT. XXIV.

Qui etiam Orcinus appellatur] Χαρφινιανὸς ἀπελεύθερος. hîc Theophilus. Nævius in suo Epitaphio: *Postquam est Orcino traditus Thesauro.* Hinc jocus natus in senatores, velut ex actis Cæsaris mortui factos ab Antonio, quos ait Suetonius, *Orcinos vulgus vocabat.* Plutarchus: τούτοις ἅπαντας ὑπισκώπτοντες οἱ Ῥωμαῖοι χαρφινίτας ἐκάλουν.

DE CODICILLIS. TIT. XXV.

Codex est testamentum:

cum codice sævo
Heredes vetat esse suos.

Codicilli, pusillum testamentum, sicut peculium, pusillum patrimonium. Sic & in rebus aliis codex volumen aliquod, codicilli epistolæ & brevia quæ vocant.

Papinianus ait non aliter valere quàm si specialiter

postea

752607

postea voluntate confirmentur] Hæc sententia receptissima erat Plinii temporibus. Ita is enim libro II. epist. 16. *Tu quidem pro cætera diligentia admones me, codicillos Aciliani, qui me ex parte instituit heredem, pro non scriptis habendos, quia non sint confirmati testamento. Quod jus ne mihi quidem ignotum est, cùm sit iis etiam notum, qui nihil aliud sciunt.*

Ad

LIBRVM III.

INSTITVTIONVM.

DE HEREDITATIBVS QVÆ AB INTESTATO deferuntur. TIT. I.

ÆQVVM *esse videtur nepotes neptesque in patris sui locum succedere*] Hac de re vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis VII. 6. & in annotatis ad eum locum.

De legitima agnatorum successione] Donatus ad Hecyram. *Legitima est hereditas quæ familiæ debebatur.*

DE GRADIBVS COGNATORVM TIT. VI.

Frater & soror] Vnde hæc nomina deduci putarint Nigidius Figulus, & Labeo Antistius, vide Gellium XIII. 10. Sed verum est frater esse ex Græco φρήτωρ. Soror videtur esse ex Syriaco סור: quod significat ramum declinantem.

Sed cùm magis veritas oculata fide, quàm per aures animis hominum infigatur] Polybius XII. ὀφθαλμοὶ τῆς ὄψεως ἀκριβέστεροι μάρτυρες. Horatius: *Segnius*

Segnius irritant oculos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis commissa fidelibus, & quæ
Subjicit ipse sibi spectator.

Languidius ad animum accedunt, quæ aurium via manant, quàm quæ oculis hauriuntur. Nazarius.

DE BONORVM POSSESSIONIBVS. TIT. IX.

Quæ inde vir & uxor appellatur] In edicto Theodorici regis habes & hanc successionem, & eam quæ Ecclesiæ, quæque curiæ defertur. capitibus XXIV. XXVI. XXVII.

DE SVCCESSIONIBVS SVBLATIS quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatusconsulto Claudiano. TIT. XII.

Bonorum emtio] In Notis B. E. *bonorum emtio.*

DE OBLIGATIONIBVS. TIT. XIII.

Obligatio est juris vinculum] Scholiastes ad Satyram III. libri secundi Horatii: *Et hoc debitum sit firmatum centum catenis, id est, juris nexibus.*

QVIBVS MODIS RE CONTRAHITVR obligatio. TIT. XIV.

Inde etiam mutuum appellatum est, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat] Res vera. At Varro nos docet mutuum esse ex Siculo μοῖτον, & Sophronem scribere μοῖτον ἀνατίθεμαι. est ea vox & apud Hesychium, & apud Lucianum. Sed hoc ipsum videtur esse ex μοὶ, & τὸν pro τεὸν.

Sed propter majorem vim majoresque casus non tenetur] Lege Caroli Magni CCIV, damnum hoc ex casu dividitur.

DE

752607

DE VERBORVM OBLIGATIONIBVS. TIT. XV.

Quod stipulum apud veteres firmum appellabatur] Glossæ: *distipulum*, διαλυθέν. Varro deducit & stipulari, & stipare, à Græco στείβειν. At Isidorus stipulationem à stipula dictam ait. *Veteres enim quando tibi aliquid promittebant, stipulam tangentes frangebant: quam iterum jungentes, sponsiones suas agnoscebant.* Similis moris mentio in legibus Caroli Magni VI. 285. *Profitemur omnes, stipulas dextris in manibus tenentes, easque propriis à manibus ejicientes.*

Spondes, spondeo] Exempla sunt apud Plautum, ut Bacchidibus IV. 8.

is promittet tibi,
Tu aurum rogato.

Pseudolo II. *Roga me viginti minas,*
Vt me effecturum tibi quod promisi, scias.
Rogo, obsecro, Hercle: gestio promittere.
Ct. *Dabisne argenti mihi hodie viginti minas?*
Ps. *Dabo.*

Eademque fermè verba habes eadem comœdia IV 6. ubi quod rogare dixit Ballio, Simo dicit stipulari. Sic Græci ἐπερωτᾶν.

DE STIPVLATIONE SERVORVM. TIT. XVII.

Sive autem domino, sive sibi, sive conservo suo, sive impersonaliter servus stipuletur, domino acquirit] Plautus Rudente:

quod servo meo
Promisisti, meum esse oportet.

DE FIDEIVSSORIBVS. TIT. XX.

Pro eo qui promittit, solent alii obligari] Apud Plautum Trinummo V. 2. Charmides ut principalis ait, *spondeo.* Callicles ut fidejussor:

& ego

& ego spondeo idem hoc.

Liberum est creditori à quo velit solidum petere] At jure Francico Caroli Magni VII. 252. *Si quis contemto fidejussore debitorem suum tenere maluerit, fidejussor vel heres ejus à fidejussionis vinculo liberatur.*

DE LITERARVM OBLIGATIONIbus. TIT. XXI.

Scholiastes ad illud Horatii: *Scribe decem Nerio: Scribe verbum juris est, pro mutuum sumere: rescribere verò est reddere debitum.* Idem ad librum II. epist. I. *Cautos nummos: sub chirographo datos.* Donatus ad Adelphos: *Tunc enim de mensæ scriptura magis quàm ex arca domoque vel cista pecunia numerabatur.* Hinc rescribi in Phormione, ubi idem Donatus: *Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit scriptura.* Eugrafius ibidem: *Quoniam argenti acceptio per scripturam fiebat.* Servius ad illud VII. Æneidos: *Transcribi, tradi: sermo autem hic tractus est de pecunia. nam scribi est dari. Horatius: Scribe decem Nerio. rescribi, reddi. Horatius: Quod tu nunquam rescribere possis.*

Si quis debere se scripserit, quod numeratum non est] De pecunia cauta, non numerata agit Chrysostomus I. ad Cor. IV. At Fredericus II. per Siciliam constituit, ut non tantum per instrumenta confessionum, sed per testes, qui naturali numerationi interfuerint, de debito probetur: nisi judex, & notarius, & testes in instrumento subscripti, non de confessione tantum, sed quod ipsi interfuerint numerationi testentur I. XL. 2. & LX. I.

DE LOCATIONE ET CONDVctione.

Conductor autem omnia secundùm legem conductionis facere debet] Tutelæ redemtores dicebantur, qui

752607

qui pro custodia mercedem accipiebant. Eorum fuêre qui tutelam capite caverent. Plinius testis historiæ naturalis libro XXXIV. & XXXVI.

DE SOCIETATE.

Societas sacra res est, & quædam fraternitas animorum. Quintilianus pater declamatione CCCXX.

DE MANDATO.

Is qui exsequitur mandatum, non debet excedere fines mandati] Corrumpitur enim atque dissolvitur officium omne imperantis, si quis ad id quod facere jussus est, non obsequio debito, sed consilio non desiderato respondeat, ut ait Gellius. I. 13. ubi latè hanc tractat quæstionem. nos distinctionem non incommodam attulimus libro II. de jure Belli ac Pacis, XVI. parag. 21.

Neque pluris emere debet] Quid si vendere certo pretio jussus, minoris vendiderit? valebit venditio, modò qui mandatum susceperat, quod minus ab emtore percipietur, compleat. ita constituêre Francici reges capitulari VII. 238.

PER QVAS PERSONAS NOBIS OBligatio acquiritur.

Similiter ex duabus istis causis nobis acquiritur] Sunt & aliæ, sed quæ brevitatis studio hîc omittuntur. Vide L. si debitor, D. de pactis, & L. si debitor, D. de solutionibus.

Ad

LIBRVM IV.

INSTITVTIONVM,

DE OBLIGATIONIBVS QVÆ EX delicto naſcuntur.

DE variis apud diverſas gentes, atque etiam apud Romanos furti pœnis vide Gellium XI. 18.

Furtiva res quaſita] Per lancem & licium. Licio cingebatur qui quærebat. quod ex lege Attica venerat. φωρεύοντα γυμνὸν χιτωνίσκον ἔχοντα ἀζωστον εἰσιέναι εἰς τὴν οἰκίαν, ὅπως μὴ ἐρεωπόσιν.

Nec manifeſti dupli] Plautus Pœnulo circa finem: *Duplum pro furto mihi opus eſt.*

Itaque ſive creditor pignore, ſive is apud quem res depoſita eſt, ea re utatur, ſive is qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quàm cujus gratia ei data eſt, furtum committit.] Labeo ſcripſit Brutum ſolitum dicere, furti damnatum eſſe qui jumentum aliorſum duxerat, quàm quo utendum acceperat. Q. autem Scævola: *Quod cui ſervandum datum eſt, ſi eo uſus eſt, ſive quod utendum acceperit, ad aliam rem, atque acceperit, uſus eſt, furti ſe obligavit.* Hæc fragmenta veteris juriſprudentiæ ſervavit nobis Gellius VII. 15.

Ope & conſilio] In Notis, O. C. *Ope, conſilio.*

DE VI BONORVM RAPTORVM.

Ridiculum enim eſſet leviores conditionis eſſe eum qui vî rapit, quàm qui clam amovet] At Iudæi contrà ſenſiſſe videntur. Vide Maimoniden Ducis dubitantium III. 41. & poteſt res illa in utramque partem tractari. Nam & in Ariſtotelis Rhetoricis

752607

toricis ad Alexandrum, cap. XII. legimus. Πονηρά μοι δοκοῦσιν οἱ κλέπτοντες τῶν λῃζομένων ποιεῖν, οἱ μὲν γὰρ λαθραίως, οἱ δὲ φανερῶς τὰ χρήματα ἀφαιροῦνται. *Pejora mihi videntur fures quàm raptores admittere. Nam fures clam, raptores apertè rem auferunt.* & in sequentibus furem proditori confert.

DE LEGE AQVILIA.

Quanti in diebus triginta proximis res fuerit] Hebræi æstimationem damni faciunt ex tempore damni dati. Baba Kamma X. I.

DE INIVRIIS.

De injuriarum pœnis veteribus, vide Gell. XX. I.

Generaliter injuria dicitur omne quod non jure fit] Nempe sicut justitia quædam est generalis, ita & juris acceptio & injuriæ, ad omnes virtutes ac vitia potest porrigi. Aristoteles Nic. V. I. Verba hæc sunt ex Pauli libro singulari de injuriis. citato de collatione legum Mosaïcarum & Romanarum, titulo II.

Specialiter aliàs contumelia quæ à contemnendo dicta est, quam Græci ὕβριν appellant] Hæc est una significationum non sola. Paulus dicto loco: *Unde apparet non verum esse quod Labeo putabat, apud prætorem injuriam ὕβριν duntaxat significare. Commune enim nomen injuriæ est* (ita legendum pro, *communem omnibus enim juris est*) *quod semper adversus bonos mores fit, idque non fieri alicujus interest.* Sicut specialis justitiæ acceptio ad omne id pertinet quo societas humana constat: ita & injuria sumitur pro omni eo quo istud lædituR. Hujus generis species una est ὕβρις.

Aliàs culpa, quam Græci ἔγκλημα dicunt, sicut in lege Aquilia damnum injuria datum accipitur] Legendum, *quam Græci ἁμάρτημα vocant.* Id enim

nomen locum habet etiam ubi dolus abeſt, non tamen omnis culpa. vide quæ attulimus libro III. de jure Belli ac Pacis XI. §. 14.

Aliàs iniquitas & injuſtitia, quam Græci ἀνομίαν & ἀδικίαν vocant. cùm enim prætor vel judex non jure contra quem pronunciat, injuriam accepiſſe dicitur] Sic & Paulus dicto loco: *Specialiter alia eſt quam Græci ἀδικίαν vocant. Nam cùm prætor noſter adverſum nos pronuntiavit, injuriam nos accepiſſe dicimus.* quo in loco malè irrepſit vox *contumelia.* quæ interpretatio fuerat, adjecta voci ὕβριν quæ poſt ſequitur. Quàm latè patet ἀδικίας vox oppoſita juſtitiæ ſpeciali, id eſt, κοινωνικῇ, tam latè patere poteſt etiam vox injuriæ, ut & Græcum ἀδικεῖν. & tamen prætor jus reddere dicitur, etiam cum injuſtè decernit, L. jus, D. de juſtitia & jure, nomine relato ad id quod videtur, non quod eſt, πρὸς τὸ φαινόμενον, non πρὸς τὸ ὄν.

Vel ſi quis ad infamiam alicujus libellum, aut carmen, aut hiſtoriam ſcripſerit] Scholiaſtes Horatii ad Satyram II. I. *Legibus cautum erat, ne quis in quenquam carmen maledicum ſcriberet.* idem habes ad epiſtolam II. I. In jure Attico, cujus idem Scholiaſtes aliquoties meminit, erat ὄνομα εἰ μὴ κωμῳδεῖν. Supplicium erat fuſtuarium, ut & Horatius nos docet, & idem Scholiaſtes, tum ad dictam epiſtolam, tum ad artem poëticam.

Sive quis matremfamilias, aut prætextatum prætextatamve adſectatus fuerit] Matronas nec aſſectari, nec compellare licebat. Scholiaſtes idem ad lib. I. Satyra II. & alibi.

Servis autem ipſis quidem nulla injuria fieri intelligitur, ſed domino per eos fieri videtur] Salvianus: *Si ſervos noſtros quiſpiam cecîdit, nos in ſervorum noſtrorum cædit injuria.* Vide ſcriptorem convivii ſapientum in operibus Plutarchi, ubi de Thraſybulo. Tertullianus de anima: *Gravis injuria in præſidem eſt, cùm officia pulſantur. plus cadi-*

tur

752607

tur qui jubet, quando nec qui obsequitur, excusatur.

DE OBLIGATIONIBVS QVÆ QVASI ex delicto nascuntur.

Pertinet huc quod Messalinus Cotta censuit cavendum Senatusconsulto, ut quamquam insontes magistratus, & culpæ alienæ nescii, provincialibus uxorum criminibus perinde quàm suis plecterentur. Tacitus Ann. IV.

Si judex litem suam fecerit] Id olim fecisse intelligebatur, etiamsi in tempore ad comitium non venisset, ut discimus ex C. Titii oratione pro lege Fannia, cujus meminit Macrobius Saturnalium II. 12. De judicum pœnis, vide edictum Theodorici regis.

Positum aut suspensum habet] Qualia sunt Meniana ex provolantibus tabulatis, de quibus Festus, Asconius, & Horatii Scholiastes.

DE ACTIONIBVS.

Agere ex Græco ἄγειν est ducere, quia rei in jus ducebantur. inde actio nominata. Et quia agere πολύσημον est, discriminis causa addi solet, lege agere. Donatus ad Phormionem. *Lege agito dicebatur ei, cujus intentio contemtibilis adversario videbatur. Plautus Aulularia.*

Lege agito mecum, molestus ne sis.

Vt ex hac causa viatores, id est, executores litium ampliorem summam sportularum nomine exigerent] Vbi executores plus legitimo accepissent, id quadruplo puniebant reges in Italia Gothi. Cassiodorus IX. 14.

Inficiatione duplicantur] Cicero pro Cluentio. *Florio legatum ex testamento inficiatum esse.* Martialis.

In jus, ô fallax, atque inficiator, eamus.

Apud Hebræos inficiator mulctatur quinta-

parte ejus quod inficiatus est. Baba Kamma IX. 7.

Si quis agens in intentione sua plus complexus fuerit, quàm ad eum pertineat, à causa cadebat] Hinc apud Plautum in Mostellaria.

Velim quidem, Hercle, ut uno nummo plus petas.

Meminit & Cicero de Oratore II. & pro L. Roscio. Aristoteles Politicorum II. 8. ubi de Hippodami republica tractat: ὁ γὰρ μηδὲν ὀφείλειν ὁ ἀπολύσας κρίνει, ἀλλὰ τὰς εἴκοσι μνᾶς. *qui absolvit, non hoc judicat nihil deberi, sed non deberi illas, quæ petitæ sunt, viginti minas.* Vide totum locum. est enim lectu dignus.

Compensationes quoque oppositæ plerumque efficiunt, ut minus quisque consequatur, quã ei debeatur] Apud Francos compensatio fit ipso jure, & damnatur quasi plus petens qui non detraxit, quod compensandum erat. Capital. VII, 224.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Huc illud Agathoclis pertinet, qui cùm minaretur se quosdam maledicos in servitutem venditurum, dixit: ἐάν με πάλιν λοιδορῆτε πρὸς τοὺς κρείους ὑμῖν ἔσται μοι ὁ λόγος. *si iterum convitiemini, erit mihi cum dominis vestris negotium.*

SI QVADRVPES PAVPERIEM FECISSE dicatur.

Aut bos cornu petere solitus, cornu petierit] Scholiastes ad illud Horatii: *Fœnum habet in cornu: sumta translatio à bove cornipeta, cujus cornibus in modum ansulæ fœnum alligari solebat in signum, ut qui ei fieret obviam, ejus vitaret occursum.*

DE SATISDATIONIBVS.

Vel extra judicium satisdationem exponere, per quam ipse sui procuratoris fidejussor exsistat pro omnibus

752607

bus judicatum solvi satisdationis clausulis: ubi & de hypotheca suarum rerum convenire compellitur] Nullum hoc sensum habet. Scribendum omnino: *ubi & hypotheca rerum suarum cavere compellitur*. Theophilus: ὑποτιθέμενος μέν τοι ὅτι τῇ τοιαύτῃ ὁμολογίᾳ τῶν οἰκείων οὐσιῶν. *Bona sua hypothecæ nomine pro tali promisso opponens.*

DE EXCEPTIONIBVS.

Plutarchus Quæstione Romana LXXXI. ῥητόρων ἔνιοι παραγραφὴν οὐ βάλλονται δίκην εἶναι, τοὐναντίον τῇ δίκῃ δεχόμενοι· ἡ μὲν γὰρ εἰσάγει, καὶ ποιεῖ καιρόν, ἡ δὲ ἀναιρεῖ τὴν λύσιν. *Rhetorum nonnulli exceptionem nolunt esse litem, quod contrarium liti efficiat. Lis enim occasionem dat judicio: exceptio aufert judicium.*

Per exceptionem pacti conventi] Inre Romano ex nudo pacto actio non dabatur. Videtur olim data apud Græcos ex historia illa, quæ est apud Gellium v. 10. nisi quod dici potest pactum illud quasi accessionem fuisse locationis. Nicolaus Damascenus, quoties arbiter esset lectus, etiam nuda pacta impleri volebat. Habemus id in manuscripto Petresiano.

DE REPLICATIONIBVS.

Quæ replicatio vocatur] Hoc est, quod Græci dicunt, ἀνιπλαγχάνειν.

DE INTERDICTIS.

Modo nec vi, nec clam, nec precario] In Notis: *N. V. nec vi. N. C. nec clam. N. P. in prætorio*, lege: *nec precario.*

DE POENA TEMERE LITIGANTIVM.

Similis huic pœna temerè provocantium. Symmachus 11. 30. x. 29. 51. Codex Theodosianus de appellationibus, L. præscriptiones: &: Quorum

rum appellationes non recipiantur, L. ab executione, L. interpositas, L. sæpè cautum est.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

Lex Iulia majestatis] Huic simile crimen imminuti magistratus, cujus Asconius meminit locis duobus.

Lex Iulia de adulteriis coërcendis] In Notis ea sic indicatur L. I. D. A. C.

Gladio ponit] Ammianus libro XXVIII. Iovianiani principatu: *Tunc Cethegus Senator adulterii reus delatus cervice periit abscissa.* Eodem libro: *Abienus exaggerato crimine stupri, quod intulisse dicebatur Anepsiæ, morte mulctatus est.*

Sed & omne significat quod manu cujusque jacitur] Imò omne ex quo saluti hominis noceri possit. Capitulare VII. 262.

Insutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipera & simia] Seneca de Clementia I. 15. *Non culeum, non serpentes decrevit.* Scholiastes ad illud Iuvenalis:

Cujus supplicio non debuit una parari
Simia, nec serpens unus, nec culeus unus.

Hoc ideo quia parricidiis in culeo clausis, ad pœnam simia & serpentes jungi solebant. Iterum ad illud:

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adversis innoxia simia fatis.

Culeo enim inseri consueverăt, qui hæc scelera tentarent. id est, parricidæ, cum simia & serpente, & in mare mitti. Quintilianus pater controversia CCXCVIII. *Tumulo tectus videretur cui leges terram negant, in cujus cruciatus cũ omnia commenta sit antiquitas, citerior tamen est pœna quàm scelus: cujus statim ora oculosque à judicio lex jussit abduci, ne hunc jucundum cœli adspectum polluerent tetri oculi: cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto sepulchrum negat?*

P. Mal-

752607

P. Malleolum eo ſupplicio affectum narrat Euſebius. Vide & quæ de hac pœna habet Cicero pro Roſcio Amerino. In Gloſſario inter ſententias Adriani Imperatoris habes: ἐχρῶτο νόμος τὶς τοιάδε τῶ πρόπου πᾶσιν αὐθρώποις, ὅπως ὅσις πατροκτόνιον πεποιήκει, δημοσίας εἰς μολγὸν πεμφθεὶς συρράφῃ μὲ ἐχίδνης ⸫ κυνὸς ⸫ πιθήκε, ⸫ ἀλέκτορος, ἀσεβῶν ζώων ἀσεβὴς αὐθρωπῳ, ⸫ ὅπὶ ἁμάξης ἑζευγμένης μελαροῖς βυσὶ καπενεχθῆ εἰς θάλασσαν ⸫ ῥιφθῆ εἰς βαθύ. *Lex hujuſmodi in omnes homines erat conſtituta, ut qui parricidium commiſiſſet, publice injectus culeo conſueretur cum vipera & cane, & ſimia & gallo, impius cum impiis animalibus, & ſuper plauſtrum junctum nigris bobus deferretur in mare, atque ibi in profundum mergeretur.*

Lex Cornelia de falſis] Lege duodecim tabularum falſi teſtimonii convictus de Saxo Tarpejo dejiciebatur. Gellius xx. 1.

Lex Iulia peculatus] Peculatum dicit Varro dictum cùm pecore diceretur mulcta, & id eſſet coactum in publicum, ſi eſſet averſum. Feſtus: *Peculatus furtum publicum dici captum eſt à pecore, quia ab eo initium ejus fraudis eſſe cœpit.* Iſidorus: *Peculatus judicium in eos datur, qui fraudem ærario faciunt, pecuniamque publicam intervertunt.*

Sunt præterea publica judicia lex Iulia de ambitu] Aſconius: *Cauſæ publicæ ſunt repetundarum, ambitus, majeſtatis.* Varro: *Qui populum candidatus circumit, ambit: qui aliter facit, ex ambitu cauſam dicit.* Iſidorus: *Ambitus judicium in eum eſt, qui largiorem* (lege *largitione*) *honorem capit & ambit, amiſſurus dignitatem, quam munere invadit.*

Lex Iulia repetundarum] in Notis: L. IV. REP. Aſconius: *Pecuniarum repetundarum publicum eſt.* Iſidorus: *Repetundarum accuſatur, qui pecunias à ſociis cepit. In hoc judicio reus, ſi antè moriatur, in bona ejus judicium redditur.* Vide L.

datur, D. de lege Iulia repetundarum. L. Piso Frugi, legem de pecuniis repetundis primus tulit, ut Cicero in Verrem nos docet, qui & legem socialem vocat.

AD DIGESTA

DE IVSTITIA ET IVRE.

L. Iuris.

EST *autem à justitia appellatum*] Grammatici derivant jus ab eo quod jusum est: nam veteres jussa dicebant: ab eo justum: ab eo justitiam. At Philosophi rerum origines magis respiciunt, & satis habent, si ad eas vocibus alludant. Sic medicus Varroni à medicina, sutor à sutrina.

Cujus merito quis nos sacerdotes appellet] Macrobius 1. 14. ad somnium Scipionis. *Quicquid humano subjicitur adspectu, templum ejus vocavit, qui sola mente concipitur, ut qui hæc veneratur, ut templa, cultum tamen maximum debeat conditori: sciatque quisquis in usum templi hujus inducitur, rius sibi vivendum sacerdotis.*

Bonos non solùm metu pœnarum, verumetiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes] Incolumis salus est, ubi justitia locum habet. Scholiastes Horatii.

Veram, nisi fallor, philosophiam non simulatam affectantes] Gellius cùm insignem ex Gorgia Platonis locum attuliset x. 22. sic concludit: *Hæc Plato, sub persona quidem, sicut dixi, non proba, sed cum sensu tamen, intelligentiaq; communis fide, & cum quadam indissimulabili veritate disserit: non de illa philo-*

752607

philosophia, quæ virtutum omnium disciplina est, quæque in publicis simul & privatis officiis excellit, civitatésque & rempublicam, si nihil prohibeat, constanter & fortiter, & peritè administrat: sed de ista futili ac puerili meditatione argutiarum, nihil ad vitam neque tuendam, neque ordinandam promovente, in quo id genus hominum consenescunt malè feriati, quos philosophos esse & vulgus putat, & ipse putabat, ex cujus persona hæc dicta sunt. Iustitia apud Claudianum sic Theodorum Manlium alloquentem, inducitur.

Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexêre magis, quàm qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, urbémque carinis
Vexit, & arsuras Medo subduxit Athenas.
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, & sexum leges vicêre severæ:
Civibus & vetitis ignavo credere muro
Tutius objecit nudam Lacedæmona bellis,
At non Pythagoræ monitus, annique silentes
Famosum Oebalii luxum pressêre Tarenti.

Non immeritò ergo juris magistri omnes sapientes appellati. Gellius IV. 1. quod nomen singulari quodam jure datum Græce Sempronio, Latinè Attilio docebit nos Pomponius titulo sequente.

Publicum jus in sacris, in sacerdotibus, in magistratibus consistit] De sacris & sacerdotibus dicebat jus pontificium, cujus multa mentio apud Ciceronem, (qui & jus religionis id nominat) apud Servium, Gellium, Macrobium, Scholiasten Horatii. Huc post Christianismum spectant decimus sextus liber Codicis Theodosiani, & multa in primo libro Iustinianei Codicis, multa in Novellis & Francicis Capitularibus: ubi canones ab Ecclesia prudenter constituti publica auctoritate firmantur, ostendúntque reges se non dominos esse Ecclesiæ, sed tutores & vindices. De

De Magistratibus plurima ibidem habemus in primo libro, tum Theodosiani, tum Iustinianei Codicis. Mixta sunt quæ de jure fisci, quæque de accusationibus publicorum judiciorum agunt. partim enim rempublicam, partim privatos spectant. Sic & leges sumtuariæ, ut quæ glandia & glires in cœnis vetabant, de quibus Plinius libro XXXVI. historiæ naturalis. idem legem refert per quam servis vetita pictura.

Ius naturale est quod natura omnia animalia docuit] Cur hanc distributionem juris in jus naturæ & gentium sic acceptum minus esse philosophicam putemus, diximus nos I. de jure Belli ac Pacis, cap. I. §. 9. & 11. Dixit & eruditissimè, ut solet, Seldenus, de jure naturæ & gentium, secundùm Hebræos. Itaque rectius jus dividitur in id quod natura est, & per se hominibus non corruptis patet: & in id quod est ex constituto: quod rursum est aut multis gentibus commune ex consuetudine antiqua, aut proprium civitatis cujusq; sive id legibus, sive moribus constet.

L. Vt Vim.

Cùm inter nos cognationem quandam natura constituit] Aristoteles Rhetoricorum I. II. Ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν ἡδύ, τὰ συγγενῆ ὃ μὴ φύσιν ἀλλήλοις ἐστὶν, ἅπαντα τὰ συγγενῆ ὅμοια, ἡδέα ἀλλήλοις ἐστὶν, ὥστε ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ. *Quando quæ naturæ conveniunt, cara sunt, quæ autem cognata sunt, conveniunt inter se secundum natnrum, ideo cognata ac similia cara sunt ut plurimum, velut homo homini.*

L. Manumissiones.

Cum jure naturali omnes liberi nascerentur] Liberorum vocem hîc intellige, κατὰ φύσιν, non ἀνυπεύθυνος, id est, *nulli servituti addicti*. vide II. de jure Belli ac Pacis XXII. II.

L. Omnes

752607

L. Omnes populi.

Quod verò naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peraquè custoditur] Optimè enim ei convenit sermo iste, quem Antigonæ tribuit Sophocles.

οὐ γὰρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε,
οὐδ' ἡ ξυνοικος τῶν κάτω θεῶν δίκη,
οἱ τῇδ' ἐν ἀνθρώποισιν ὥρισαν νόμους.
οὐδὲ θνητὸν τοσοῦτον ὠόμην τὰ σὰ
κηρύγματ', ὡς τ' ἄγραπτα κ' ἀσφαλῆ θεῶν
νόμιμα δύνασθαι θνητὸν ὄντ' ὑπερδραμεῖν.
οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθές, ἀλλ' ἀεί ποτε
ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου φάνη.

Decreta quippe hæc nec supremus Iuppiter,
Nec fas deorum manium dictaverat:
Queis alia jura debet humanum genus.
Nec id valere credidi jussus tuos,
Ut jura non conscripta, sed nutu deûm
Concessa, sempiterna, mortalis satus
Violare posses. Non enim nuper vigent:
Sed ævo ab omni: initia in occulto latent.

quos versus Apollonius olim usurpavit contra Neronis edictum.

Honestè vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere] Horum primum ad justitiam illam pertinet, quam generalem vocat Aristoteles: altera duo ad specialem: prius, removendo contrarium: nam

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitiâ caruisse.

posterius, id ponendo quod huic virtuti est proprium. vide quæ dicta ad eundem locum in Institutionibus.

DE ORIGINE IVRIS CIVILIS, ET omnium magistratuum, & successione prudentum.

Habes non pauca huc pertinentia apud Gellium XVII. 21.

L. Necessarium.

Initio civitatis nostræ populus sine lege certa, sine jure certo primum agere instituit] Notant veteres, & Iosephus adversus Appionem II. ipsam vocem νόμου nusquam esse apud Homerum.

Omniaque manu à regibus gubernabantur] Iustinus initio historiæ: *Populus nullis legibus tenebatur: arbitria Principum pro legibus erant.* Tacitus annalium III. *Nobis Romulus ut libitum imperitaverat.*

Ad populum tulit] Sic apud Euripidem Supplicibus de bello Thebanis inferendo ad populum Athenienſem fert Theseus: & pleraque regna illis temporibus erant μετ' εὐδοκίας πλήθους, cum bona voluntate populi: atque id Romæ obtinuisse notavit & Halicarnassensis & Seneca epistola CVIII.

Quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesiũ, exsulantem in Italia, quidam retulerunt] Strabo de eo libro XIV. δοκεῖ ὃ αὐτῷ ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψας. *videtur hic vir leges quadsam scripsisse Romanis.* Hic est Hermodorus, quem ideo à se expulerant Ephesii, quod dicerent: *Nemo inter nos unus excellat: (ὁστις ἄριστος ἔστω) sed si quis exstiterit alio loco, & apud alios sit.* narrat Cicero Tusculanarum quinto. Sed & in Heraclito Diogenes Laërtius, additque dixisse Heraclitum, dignos esse ob id dictum Ephesios, qui omnes puberes interirent, impuberes verò in alias terras deportarentur.

Censores constituti sunt] Apud Scholiasten Iuvenalis: *Censor, judex morum.* Ciceroni censor præfectus moribus, & magister veteris disciplinæ & severitatis.

Tribunos sibi in monte Sacro creavit] Præter historicos vide Asconium ad orationem pro Cornelio.

Qui essent plebei magistratus] Custodes libertatis, ut ait, Scholiastes Iuvenalis. Plusne nocuerint,

752607

cuerint, an profuerint reipublicæ, vide disputationem in partem utranque apud Ciceronem, tertio de legibus.

Et triumviri capitales] Ad quos alludens Plautus scena prima Amphitruonis:

Quid faciam nunc si tresviri me in carcerem compegerint? & Cicero ad Trebatium: *Treviros vites censeo, audio capitales esse: mallem auro, ære, argento essent:* Scholiastes Horatii ad illud:

Sectus flagellis hic triumviralibus.

Triumviri capitales erant, qui verberabant, & necabant, à consulibus damnatos. Meminit & Cicero Oratore.

Et quia magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat] Ne pernoctarent in rostris, ut loquitur scriptor de causis corruptæ eloquentiæ. Solis enim occasus suprema tempestas erat in judiciis: Gellius XVII. 2. & Censorinus. Sic & Senatusconsultum post occasum solis factum ratum fuisse negat Varro apud Gellium XIV. 7. addit Seneca de tranquillitate animi 15. novam relationem post horam decimam in Senatu fieri vetitam. In accusatione Flaminii apud Senecam patrem: *à prætore lege actum est ad lucernam.* Seneca filius de ira libro III. 18. *Quid tam inauditum quàm nocturnum supplicium.*

Ita decem & octo prætores in civitate jus dicunt] Addidit prætores tutelares M. Antoninus philosophus.

Postea verò Latinarum feriarum causa introductus est] Nempe quia consules feriarum Latinarum causa in monte Albano aberant, ideo præfectus urbi creabatur, qui eorum vicem suppleret. Vide Nicolaum Damascenum in vita Augusti, & Tacitum annalium VI. qui & annalium IV. Drusum narrat hoc functum munere. Adde Gellium XIV. 8. Hinc interpretare illud Lucani:

Pulvere vix tecta poterunt monstrare ruinæ

Alb-

Albanoſque Lares, Laurentinoſque Penates,
Rus vacuum, quod non habitat, niſi nocte coacta
Invitus, queſtuſque Numam juſſiſſe Senator.

Ejuſdem eſt:

oſtendens confectas flamma Latinas.

Ferias ſcilicet: & alibi:

Vidit flammifera confectas nocte Latinas.

Quo facilius conſuli poſſet] Promere jura, ait Horatius, quod Scholiaſtes exponit reſpondere de jure. Præſcribebatur foribus, licet conſulere. Cicero pro Muræna: quo alludens Tibullus:

me, qui ſpernentur, amantes
Conſulent. cunctis janua noſtra patet.

Tripertita] Si rectè advertas, pleraque juriſconſulti noſtri in tria divisêre, quod is numerus aliquid divini habere crederetur. alioqui, ſi quis accuratam ſectionem inſtituere volet, facile genus quodque in duo ſecabit, & horum alterum rurſum in duo. Sic jus eſt natura aut poſitione. poſitione gentium aut civile. jus eſt publicum aut privatum: publicum in ſacris, in profanis. præcepta juris aut ad juſtitiam ſpectant generalem aut ſpecialem: ad ſpecialem vetando, jubendo. pertinet jus ad perſonas, aut ea quæ extra perſonam ſunt: extra perſonam ſunt res & actiones. perſonæ ſunt liberæ aut ſerviles. liberæ ingenuæ aut libertinæ: & ita de ceteris.

Publius Mucius] Scævola, juriſconſultus, cujus multa apud Ciceronem mentio, & apud Horatium ejuſque Scholiaſten.

Aulus Caſcelius] Meminit ejus Horatius & Scholiaſtes, qui & juriſperitum & ſapientem vocat.

Item Salvius Iulianus] Qui edictum fecit perpetuum ex edictis annalibus, juris urbani ſcientia præſtans: imperator haud æquè bonus, quo exemplo Aurelius Victor nos monet, ni ingenium adjuvet, imbecillem eſſe eruditionem.

DE

752607

DE LEGIBVS, SENATVSCONsultis & Longa Consuetudine.

L. I.

Lex est commune præceptum] Hæc definitio curtata est ex ea Demosthenis quæ sequitur: Est autem locus is Demosthenis in priore adversus Aristogitonem. Aristoteli initio Rhetoricorum ad Alexandrum lex definitur, λόγος ὡρισμένος κατ' ἀμολογίαν κοινὴν πόλεως μηνύων πῶς δεῖ ἕκαστα πρᾶξαι. *Sermo constitutus ex communi civitatis consensu, indicans quomodo quidque fieri debeat.* Quæ definitio propriè quidem popularem statum respicere videtur: potest tamen & principum constitutionibus aptari, ubi principum potestas ex populi consensu nata est. Chalcidius ad Timæum: *Quid est lex, nisi jussum sciscens honesta, prohibens contraria?* Est inter Orphica hymnus νόμος, id est, legis, sed eo significatu, ut etiam Dei legem, qua hoc universum regitur, comprehendat.

Ἀθανάτων καλέω, θνητοῖς ἁγνὸν ἄνακτα,
ἔφορον νόμον, ἀστροδέτην, σφαιρηλάτην δικαίου
πόντου τ' εἰναλίου καὶ γῆς φύσεως τὸ βέβαιον,
ἀκλινῆ, ἀστασίαστον, ἀεὶ τηροῦντα νόμοισιν,
οἷσιν ἄνωθε φέρων μέγαν ἔφορον αὐλὸς ὁδοῖ,
καὶ φθόνον ἐς δίκαιον ῥίζας τρόπον αὐλὸς ἐλαύνῃ.
ὃς καὶ θνητοῖσιν βιοτῆς τέλος ἐσθλὸν ἐγείρῃ.
αὐλὸς γὰρ μοῦνος ζώων οἴακα κρατοῦσι
γνώμας ὀρθοτάτῃσι σωωὼν, ἀδιάστροφον αἰεί.
ὠγύγιος, πολύπειρος, ἰθλαίπλως πᾶσι σωωικῶν
τῆς νομίμοις, ἀνόμοις ὃ φέρων κακότητα βαρεῖαν.
ἀλλὰ μάκαρ πάντιμε, φερολβίε, πᾶσι ποθανὲ
βύβλοις ἤτορ ἔχων μυήμῃσι σέο πέμπε φέρεσθε.

Reginam celebro, sanctam mortalibus, & Dîs
Cœlicolam legem, astriferam, terraque, marique
Impressam speciem, naturæ solidamen,
Immotam sine turbelis, sublimitus orta
Scita, quibus cœli peragres loca celsa, ferentem,

Quæ

Quæ stridore suo livorem pellit iniquum,
Datque homini vitæ felicem imponere finem.
(Namq; guberna tenet cunctorũ sola animantum:)
Sensibus in rectis habitantem inflexibilem vim,
Quæ casta experiensq;, bonis innoxia cunctis
Semper adest, sed ad injustos mala plurima portat:
Cunctis cara, ferax opibus, veneranda, vetusta,
Nos tutare favens semper memoresq; tui fac.

L. Nam &.

Ἐπανόρθωμα ἢ τ' ἑκουσίων & ἀκουσίων ἁμαρτημάτων] Ἀκούσια ἁμαρτήματα, hic vocat eas culpas, à quibus abest dolus, de qualibus est lex Aquilia. Vide quæ diximus ad institutiones de injuriis.

Ὁ νόμος πάντων ὅσι βασιλεὺς] Laudat hoc dictum Stoïcorum Origenes contra Celsum quinto, præcipueque ad naturæ legem id refert.

Κανόνα τε εἶ δικαίων & ἀδίκων] Dion Chrysostomus oratione LXXVI. Ὅσι ἢ ὁ νόμος τῆ βίᾳ μὲν ἡγεμών, τ' πόλεων ἢ ὅσπερ κοινός· τῶν ἢ πραγμάτων καὶ ὡς δικαίου πρὸς ὃν ἕκαστον ἀπευθύνειν δεῖ τ' αὑτῆ τρόπον. εἰ ἢ & μὴ σκολιὸς ἔσται, & πονηρός. *Lex vitæ dux est: communis civitatum magistra: rerum recta norma, ad quam quisque mores suos conformare debet: ni id faciat, futurus obliquus & malus.*

Προστακτικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν ἢ ὧν ἃ ποιητέον] Malè quidam libri προσευκτικὸν. Stobæus ex Stoïcis. τ' ἢ νόμον σπουδαῖόν εἶ φασι, λόγον ὀρθὸν ὄντα, προστακτικὸν μὲν τ' ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν ἢ τῶν ἃ ποιητέον. τῆ ἢ νόμε ἀσεῖε ὄντος, & ὁ νόμιμος ἀσεῖος ἂν ἦ. νόμιμον μὲν γὰ εἶ ἀνδρα & ἀκολαθετικὸν τῶ νόμῳ & προσταπομψικὸν τ' ὑπ' αὐτοῦ προστεταγμένων. νομικὸν ἢ τὸν ἐξηγητικὸν τῆ νόμε· μηδένα ἢ τ' φαύλων μήτε νόμιμον εἶ, μήτε νομικόν. *Legem esse virtute præditam, ut quæ sit recta ratio, imperans facienda, non facienda prohibens. Cùm verò lex sit res venusta, etiam legalem hominem venustum esse.*

752607

esse. Legalem autem esse qui legi obsequatur, & ab ea imperata præstet. at legisperitum legis esse interpretem. Malorum autem neminem; aut legalem esse aut legisperitum. Philo de præmiis & pœnis: νόμος ὃ δέ ἐστιν ἕτερον, ἢ λόγος ὀρθὸς ἀπὸ θεοῦ, καὶ ἀπαγορεύων ἃ μὴ χρή. *Lex nihil aliud est quàm ratio præcipiens quæ oportet, vetans quæ non oportet.* quæ eadem habes & in Origenis Philocalia. Legem frænum dici notat ad Horatium Scholiastes. Ait Plinius libro XXXVI. de veteribus: *Nullas potius quàm irritas leges esse voluerunt.* rectè admodum: nam & Themistocles dicebat, neque bonum fore poëtam qui præter melos caneret, neque se magistratum bonum, si præter leges judicaret.

L. Iura constitui.

Ut dixit Theophrastus] Nempe libris de legibus, quarum excerpta habes apud Stobæum.

Ἐπὶ τὸ πλεῖον] Hoc ipsum notavit & Maimonides Ductore dubitantium III. 35. Aristoteles Nic. VI. 14.

L. Legis virtus.

Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire] Donatus ad Adelphos: *Alia sinunt leges, alia cogunt fieri.*

L. Iura.

Iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur] Plutarchus quo loco de fato agit, idque legi comparat, sic ait: ὁ πολιτικὸς νόμος περί τε ἀρετῆς καὶ λειποταξίου διαλέγεται, καὶ περὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως. ἀλλ' ὁ περὶ τοῦδε ἢ τοῦδε νόμιμόν ἐστιν. ἀλλὰ τὸ μὲν καθόλου προηγεῖται, τὰ δ' ὑποπίπτοντα τούτων ἑπομένως. καὶ γὰρ τὸ τιμᾶσθαι τὸν δεῖ τὸν ἠρετευκότα, καὶ τὸ κολάζεσθαι τὸν δεῖ τὸν λειποτακτήσαντα, νόμιμον ἂν φήσαιμεν, ὡς δυνάμει καὶ περὶ πάντων διαλε-

διαλαμβάνει τῷ νόμῳ, ὃν τρόπον ὁ ἰατρικὸς, καὶ ὁ γυμναστικὸς, ὡς εἰπεῖν, νόμῳ δυνάμει τὰ καθ' ἕκαστα πᾶσι ὅλοις συμπεριλαμβάνῃ. *Lex civilis de viro forti & de aciei desertore loquitur, parique modo de cæteris: non autem de hoc aut illo aliquod jus est, sed primarium est in quod est generale: quæ sub id cadunt per consequentiam veniunt. nam & hunc qui fortiter fecit honore, & hunc qui aciem deseruit pœnis affici jus esse dicimus, quia scilicet vi ac potentia de hoc quoque lex egit: quomodo & medica & palæstrica lex, si ita loqui liceat, potentia quadam res singulas in universis comprehendit:* optimè, & pari modo fatum explicat Hierocles & Chalcidius.

L. Neque leges.

Neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur] Causa: ὅτι περὶ τινῶν ἀδύνατον θέσθαι νόμον, ὥστε ψηφίσματος δεῖ· τῶν γὰρ ἀορίστων ἀόριστος καὶ ὁ κανών· *de quibusdam ferri lex non potest: sed decreto opus: nam infiniti regula infinita.* Materia infinita est de qua agit lex. Arist. Nic. v. 14. & non nimis subtiliter ferendas leges notat Strabo de Thuriis, libro v. Cato apud Livium libro XXXIV. *Nulla lex satis commoda omnibus est. id modò quæritur, si majori parti: & in summam prodest.*

L. Et ideo.

Aut interpretatione] Vt L. si quis, §. quod si, D. de jurisdictione. id καθ' συλλογισμὸν vocant Rhetores. qua de re diximus libro II. de jure Belli ac Pacis, LVI. 20. Ex scripto ad id quod scriptum non est, dicit Quintilianus.

L. Non possunt.

Ad similia procedere] Frequens id interpretibus

752607

bus legis Hebrææ. Exempla vide in Baba Kamma. I. I. & VI. I.

L. Scire.

Scire leges non hoc est verba tenere, sed vim ac potestatem] Simile illud Cassiodori: *Legem facere non est verba legis exterius sequi, sed mentem & intentionem legis obedienter implere.* Hieronymus ad Galatas I. *Ne putemus in verbis scripturarum esse Euangelium, sed in sensu: non in superficie, sed in medulla: non in sermonum foliis, sed in codice rationis.*

L. Non omnium.

Non omnium quæ à majoribus constituta sunt, ratio reddi potest] Cicero de natura deorum III. *A te enim philosopho rationem accipere debeo, majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, credere.* Habet idem Plutarchus de sera numinis vindicta. Hieronymus dialogo II. contra Pelagianos: *Neque enim in lege ratio quæritur, sed auctoritas.*

L. Incivile est.

Incivile est nisi lege tota perspecta, una aliqua particula ejus proposita judicare vel respondere] Hilarius libro IX. de Trinitate: *Dictorum intelligentia aut ex propositis, aut ex consequentibus exspectatur.* Hieronymus ad XXI. Matthæi: *Prudentem semper admoneo lectorem ut non superstitiosis acquiescat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio: sed consideret priora, media & sequentia, & nectat sibi universa, quæ scripta sunt.* Eulogius Patriarcha Alexandrinus: μὴ δεῖν ἐκ μέρους τὰ συγγράμματα κρίνειν, μηδ' ἀποσπάσματά τινα λαμβάνοντας διὰ τούτων τὸ ὅλον τοῦ γράφοντος διαβάλλειν διάνοιαν. *Non oportet ex particulis dijudicare scripta, neque fragmentis quibusdam decerptis,*

ptis, ex illis totum scriptoris calumniari provosituṛ. Eustathius Antiochenus: δεῖ ὃ φιλαληθεῖς τὶς ἐννόμους ἀγωνιστὰς, πάντα προσλαβόντας ἀπαρχλείπτως, ἀλλὰ μὴ τοῦς ἀπάτιων, μέρος μὴν, ἀποσιωπᾶν, μέρος ὃ ἀποσπῶντας, προφέρειν. Oportet eos qui veri amantes legitimè certare cupiunt, omnia proferre consequenter, non per dolum partem silentio premere, partem abruptam producere. Basilius: ἐ νεώτερον τοῦτο τ δοκήσεως τὸ ἀσέβημα, ἀλλὰ πάλαι ἀπὸ τῆς ματαιόφρονος ἀρξάμενον Οὐάλεντίνε· ὃς ὀλίγας τῶ Αποστόλε λέξεις ἀποσπασάξας, τὸ δυσσεβὲς ἑαυτῶ κατεσκεύασε πλάσμα· ὥστε τ αἱρετικῶν ὀξυν ἀποτοία μέρος τι παρχλαβόντα τ γραφῆς, ἐ τοῦτο παραχαράσσοντα, δι' αὐλοῦ τε συκοφαντεῖν τὰ λοιπὰ, ἐ διὰ τ τῶν ἱερῶν λογίων συκοφαντίας ἐ καλατομῆς συκροτεῖν ἑαυτοῖς τὸν ἀσέβειαν. Non novum hoc est arrogantiæ facinus, sed jam olim à stulto sapiente venit Valentino, qui paucas Apostoli voces defringens, impium sibimet figmentum cudit. Hæc enim est hæreticorum vecordia, particulam aliquam de Scriptura decerpere, per eamque adulteratam cætera infamare, ac tali mutilatione ac calumnia, contra Scripturas blandiri suæ impietati. Habet hæc Photius. quibuscum non malè convenit Tertulliani illud adversus Praxeam. *Proprium est hoc omnium hæreticorum. nam quia pauca sunt quæ in silva invenire possunt, pauca adversus plura defendunt.* Et de Iudicitia: *Solenne hæreticis alicujus capituli ancipitis occasione adversus exercitum sententiarum instrumenti totius armari.* Paria habet Cyrillus libro VIII. Thesauri, cap. 2. Quintilianus verò libro. VII. cap. 17. inter modos scripti interpretandi ponit, cùm in ipsis verbis legis reperimus aliquid, per quod probemus, aliud legumlatorem voluisse.

L. *Minimè.*

Minimè sunt mutanda quæ interpretationem semper certam habuerunt] Nam & Aristoteles Politicorum

752607

ticorum II. 8. negat ob quasvis utilitates mutandam legem: ἐ γὰ ποσῶτον ὠφελήσεται κινήσας, ὅσον βλαβήσεται τοῖς ἄρχουσιν ἀπειθεῖν εἰθισθείς. *Neque enim mutando tantum quis consequetur boni, quantum nocebit consuetudo non parendi superioribus.* Quem sensum Augustinus his verbis extulit: *Consuetudinis mutatio quantum utilitate adjuvat, tantum novitate perturbat.* Augustus verò apud Dionem: τὰ ἐν ταυτῷ μένοντα, κἂν χείρω ᾖ, συμφορώτερα τῶν ἀεὶ καινολομουμένων. *Quæ in eodem manent statu, etiamsi pejora sint, magis prosunt, quàm quæ subinde novantur.* Zaleucus: τοὺς ὑπὲ κειμένων νόμων ἐάν τις δοκῇ μὴ καλῶς κεῖσθαι, μεταθέμενον ὅτι τὸ βέλτιον. μενόντων δὲ πάντας πειθαρχεῖν. οὐ γὰ ἀνθρώπων ἡττᾶσθαι τοὺς κειμένους νόμους, ἐ καλὸν, ἐδὲ συμφέρον. ὑπὸ δὲ νόμε βέλτιον ὡς ἡττωμένον καθαιρεθέντος, ἔ καλὸν ἔ συμφέρον. *Legum quæ in usu sunt, si qua non videatur recta esse, liceat eam mutare in melius. Sed dum manet lex, omnes ei obediant. Nam ab hominibus vinci leges neque bonum, neque utile est. at legi meliori eas velut victas cedere, & bonum est, & utile.* Ideo idem Zaleucus, ut leges muniret mutandi difficultate, constituisse dicitur, ut suasor abrogationis loqueretur ad populum collo in laqueum inserto, strangulandus nisi perpersuasisset. Apulejus: *Nemo sponte capessat nova, nisi quem pœnituit priorum.*

L. *Contra legem.*

In fraudem verò qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit] Id καλαστοισμὸν vocat Cyrus de differentia status controversiæ. circumscriptionem vocant declamatores. Quintilianus pater controversia CCCXLIII. *Neque enim unquam decurritur ad hanc legem, nisi cùm rectum jus nequitiâ exclusum est.* Seneca in controversia matris nothi lectæ pro parte. *Circumscriptores dici solent, qui aliquid abstulerunt. iste nihil reliquit: tu, inquit,*

inquit, voluisti pauper esse. Cur igitur queror, si egestate delector? Objici, inquit, non potest quod lege factum est, imò nihil nisi quod lege factum est. Nam si quid aliter factum est, lege irritum est. Circumscriptio semper crimen sub specie legis involvit. Quod apparet in illo, legitimum est; quod latet, insidiosum. Semper circumscriptio per jus ad injuriam venit. Sic fraudem legi à se latæ, ne quis plus quingenta agri jugera possideret, fecit C. Licinius Stolo, partem dando filio quem ob id emancipaverat. Livius VII. Valerius Maximus VIII. 7. Plinius historiæ naturalis libro XVIII. ubi Plinius ait, eum substituta filii persona amplius possedisse. Sic fraudes & artes fictarum adoptionum habes apud Tacitum Ann. XV. apud Scholiasten Iuvenalis, ubi mulieres vetitæ erant capere, mariti fidei commisso gravati. Sic Clerici per fidei commissa illudebant legibus, quæ testamento quicquam relinqui Clericis vetabant. Hieronymus ad Nepotianum. Sic fraudes adversus jus πρωτιμίσεως multas habes in Manuëlis Comneni Novellis.

L. Fraus enim.

Τῆτην ἀπὸ διανοίας] Voces sunt sumtæ de Rhetoribus Græcis.

L. Princeps.

Princeps legibus solutus est] Servius ad XI Æneïdos: *Unde Imperatores & virgines Vestæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulchra.* Harmenopulus hanc sententiam interpretatur de legibus pœnam irrogantibus. Ambrosius Apologia Davidis: *Rex utique erat: nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculo delictorum. Neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii potestate.* Gregorius Turonensis ad Chilpericum: *Si quis de nobis, ô Rex, justitiæ tramites*

752607

mites transcendere voluerit, à te corripi potest. Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis. si nolueris, quis te damnabit, nisi is qui se pronuntiavit esse justitiam? Otto Frisingensis in epistola ad Fredericum: *Soli reges, utpote constituti supra leges, divino examini reservati, saeculi legibus non cohibentur. unde & illud tam regis quàm Prophetæ: Tibi soli peccavi.*

L. De quibus.

De quibus causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine inductum est] Tertullianus de corona: *Consuetudo autem etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, eùm deficit lex.* Vide de consuetudinis auctoritate Dionem Chrysostomum.

L. Imò.

Immò magnæ auctoritatis hoc jus habetur] Itaque Solon Athenienses in decennium tantùm adstrinxit, ut suis legibus uterentur, ratus vim consuetudinis in posterum satis futuram. Herodotus 1.

L. Nam Imperator.

In ambiguitatibus quæ ex legibus proficiscuntur] Quæ legum ænigmata vocat Iuvenalis. quæstiones obscuras ad eum Scholiastes.

L. Ergo.

Ergo omne jus aut consensus fecit, aut necessitas constituit, aut firmavit consuetudo] Ex Menandro:

τρία γὰρ ἐστι, δέσποτα,
δι' ὧν ἅπαντα κρίνεται ἢ κατὰ τοὺς νόμους,
ἢ τοῖς ἀναλήμμασιν, ἢ τρίτον γ' ἔθει τινί.

tria sunt, queis, Here,
Dijudicantur cuncta, legum regulis,
Necessitatis, atque consuetudinis.

Malè vulgò γίνεται, pro κρίνεται. Donatus ad Andriam: *Tribus vivitur modis, natura, consuetudine, & ratione.*

DE CONSTITVTIONIBVS Principum.

L. I.

Quod Principi placuit, legis habet vigorem] Guntherus Ligurini VIII.

pro lege voluntas
Principis esse solet. quicquid decreverit ille
Esse ratum mos est, & legis habere vigorem.

Planè ex his quædam sunt personales] Huic disputationi præcidendæ adjiciebatur in præmiis dandis: *illi liberisque ejus.* Servius ad IX. Æneïdos.

L. Αἱ μεταγενέστεραι.

Αἱ μεταγενέστεραι διαλύξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν] Meritò. Rectè enim Solon νόμους dixit esse μετακινητοὺς, leges mutabiles. Plutarchus: ἔν τε δόγμασι καὶ νόμοις, ἔν τε συνθήκαις καὶ ὁμολογίαις, κυριώτερα τὰ ὕστερα νομίζεται καὶ βεβαιότερα πρότων. *Tam in decretis, quàm in legibus, contractibus quoque & sponsionibus, quæ posteriora sunt, habentur firmiora & validiora prioribus.* Tertullianus exhortatione castitatis: *Puto autem etiam in humanas constitutiones, posteriora pristinis prævalere.* Idem Apologetico: *Veterem & squallentem silvam legum novis principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis & caditis.* Et de Baptismo: *In omnibus posteriora concludunt, & sequentia antecedentibus prævalent.*

DE STATV HOMINVM.

L. Septimo.

Septimo mense nasci perfectum partum jam receptum est, propter auctoritatem doctissimi viri Hippocratis] Vide Gellium III. 16. Macrobium I. Saturnal. 6.

L. In

752607

L. In orbe.

In orbe Romano qui sunt, ex constitutione Imperatoris Antonini cives Romani effecti sunt | Adriano id tribuit Chrysostomus in Acta: Ἀπὸ Ἀδριανοῦ φασι πάντας εἶναι Ῥωμαίους. τὸ δὲ παλαιὸν οὐχ οὕτως ἦν. *Ajunt Adriani beneficio omnes factos Romanos. olim verò non sic erat.* Sed pro Vlpiano est Aurelius Victor: is enim in M. Antonini philosophi vita: *data cunctis promiscuè civitas Romana.* At Caracallæ id tribuit Dion Coccejanus. Fieri potest ut modò arctius, modò laxius intellectum sit jus civitatis. per quos autem gradus huc ventum sit, videbis apud Tacitum, in oratione Claudii Cæsaris, Annalium XI. fragmento.

L. Lex naturæ.

Lex naturæ hæc est, ut qui nascitur sine legitimo matrimonio, matrem sequatur] Quia scilicet Romani, & multæ aliæ gentes volebant nullam esse rationem cognoscendi partus, nisi per nuptias. & sic naturæ vocem sæpè per abusionem sumi notavimus libro II. de jure Belli ac Pacis XII. 26. Græci & Romani in omni partu servili hoc servabant. at non & gentes aliæ, ut notavimus eodem libro V. 29.

DE HIS QVI SVI VEL Alieni Iuris sunt.

L. Si dominus.

Si dominus in servos sævierit] Id & Hebræis legibus mulctabatur: Baba Kamma VIII. 3.

Vel ad impudicitiam, turpemque violationem compellat] Hoc Christianè addidit Tribonianus. Nam sub paganis Principibus in servo id necessitas vocabatur, ut est in Senecæ controversiis: & apud Horatium:

si ancillula præsto
Sit, vel verna puer.

L. Item.

Quod jus proprium civium Romanorum] Itaque actio παρανοίας, sive dementiæ liberis in parentes Romano jure non dabatur: Græco dabatur. Aristophanes Nubibus. Plato libro XI. Quint. VII. cap. 5.

DE ADOPTIONIBVS, ET EMANcipationibus, & aliis modis, quibus potestas solvitur.

Qui à gente ad gentem, vel à familia ad familiam transit, priùs se abdicare debet de priore. Servius in chartis Fuldensibus ad II. Æneïdos. retinebant non nomen prioris familiæ, sed vestigium nominis: utpote pro Æmiliis dicebantur Æmiliani, pro Octaviis Octaviani. Meliores solere adoptari quàm gigni liberos, Demosthenes dixit in fragmentis: Galba apud Tacitum, Plinius in Panegyrico. Sunt tamen & in alteram partem dicta. Euripides Melanippe.

ἴσχω δ' ἄφρον ὧν ὅστις ἄπαιδ' ὢν τὸ πρὶν
παῖδας θυραίους εἰς δόμους ἐκτήσατο,
τὼ μοῖραν εἰς τὸ μὴ χρεὼν παρασφέφων.
ὃς δὲ θεοὶ δίδωσι μὴ φύναι τέκνα,
ἃ χρὴ γ' ἀναλεῖσθαι πρὸς τὸ θεῖον, ἀλλ' ἐᾶν.
Amens & excors, prole qui propria carens
Aliena domui pignora adsciscit sua,
Arbitria fati more pervertens malo.
Cui stirps negata numine est cœlestium,
Tolerare debet, non deos incessere.

Idem Erechtheo:

θετὸν δ' ὁ παίδων ποῦ κράτος; τὰ φῶτα γὰρ
κρέασσω νομίζειν τῶν δοκησάντων χρεών,
Stirpi insitiva nulla vis: præstantius
Satu datum, quàm lege mentitum genus.

DE

752607

DE DIVISIONE RERVM & Qualitate.

L. Nemo igitur.

Nemo igitur ad littus maris accedere prohibetur] Servius ad illud in prima Æneïde: *Hospitio prohibemur arenæ, ut alibi: littusque rogamus: occupantis enim est possessio littoris, unde ostenduntur crudeles, qui etiam à communibus prohibeant.*

L. In tantùm.

Sacræ autem res sunt hæ, quæ publicè consecratæ sunt, non privatæ] Vide quæ de hac re ad Institutiones dicta.

Semel autem ade sacra facta, etiam diruto ædificio locus sacer manet] *Nam si facta ades esset, licet collapsa sit, religio ejus occupavit solum.* Trajanus epistola 76.

Religiosum autem locum unusquisque sua voluntate facit] Ita ut & reliquias transferre liceat, quod tamen Romæ consulto collegio Pontificum, in provinciis præside, fieri solebat. Trajanus epistola 74.

Cenotaphium quoque] Latinè honorarium tumulum dixit Suetonius.

Sicut testis in ea re est Virgilius] Libro III. illo loco:

Solennes tum fortè dapes, & tristia dona
Ante urbem in luco falsi Simoëntis ad undam
Libabat cineri Andromache, manesque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem,
Et geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.

ubi Servius. *ad tumulum, id est, κενοταφιον.* Multa sunt exempla κενοταφίων in Anthologia. meminêre & Dionysius Halicarnassensis libro I. & Lampridius Severo: & Dion Coccejanus in fragmenta de Caracalla.

L. Sanctum.

Sunt autem sagmina quædam herbæ, quas legati populi Romani ferre solent] Verbenæ dictæ aliter. Plinius XXII. Festus. Origo ex Græco σάγισμα, pro ἅγισμα, unde sagmen: ut ex ἅγνυμι agmen.

Quæ vocantur cerycia] De quibus diximus libro III. de jure Belli ac Pacis, III. 8.

DE SENATORIBVS.

Senatui auctoritatem aliquam fuisse etiam regum tempore notat ad V. Æneïd. Servius. De Senatorio jure quæstiones egregias habes apud Plinium VIII. epist. 14. Senatores olim quosdam fuisse, quibus in Senatu sententiam dicere non licebat, docet Gellius III. 18. Vide infra L. ult. Qui senatum habere, ac senatusconsultum facere potuerint, qui intercedere senatusconsulto; quibus locis, quibus temporibus, quibus modis fierent senatusconsulta, de quibus rebus primùm referretur, quis primus sententiam rogaretur, idem XIV. 7. & 8. & IV. 10. Senatusconsultorum formulam habes infrà de petitione hereditatis, & ad Vellejanum, Macedonianum, Trebellianum, habes sex apud Frontium pertinentia ad aquæductus, duo in epistolis Lælii ad Ciceronem, apud Livium libris XXVI. & XXXI. apud Macrobium I. Saturn. 12. adde alia quæ congessit Brissonius. Huc pertinet in notis illud: Q. D. E. R. F. P. D. E. R. V. I. C. *Quod de ea re fieri placuit, de ea re universi ita censuerunt.* Solitam in senatu rationem præmitti sententiæ, notat ex Sallustio Servius ad X. Æneïdos.

DE OFFICIO CONSVLIS.

Veteri reipublicæ quanta fuerit consularis auctoritas ex historiis, Cicerone, & aliis discimus. notat ex Varrone Gellius XIII. 2. *Consul quod*

consu-

752607

consulere Senatui & populo debet. Varro Consules & cæteros qui imperium & lictores habebant habuisse ait vocationem: tribunos plebis,& alios qui viatorem habebant, prehensionem: quæstores & alios, qui nec lictorem, nec viatorem haberent, neutrum. Mansit adhuc aliqua species auctoritatis penes consules ad Trajanum usque, ut ex Plinio discimus. Tempore M. Antonini philosophi appellatum à Consulibus. Post id hæc auctoritas magis magisque exolevit,manseruntque eis simulacra honorum in ludis exhibendis, & manumissionibus, ut hoc titulo discimus,& ex Claudiano quarto & sexto consulatu Honorii & consulatu Manlii.

DE OFFICIO PRÆFECTI Prætorio.

Prætor olim dictus qui præiret exercitu. ita Varro. hinc naves prætoriæ: hinc prætorium, & prætorianus miles. iis qui præërat, dictus Præfectus Prætorio. Erant autem & Præfectus Prætorio, & Præfectus urbis, & Quæstor, illustres, ut ex libris & inscriptionibus apparet.

L. 1.

Appellandi facultas interdicta est] Sic Mithridates Eupater Metrodorum Scepsium judiciis imposuit, ea cum potestate,ut ab ipso ad Regem appellatio non esset. testantur id Appianus & Diodorus Siculus.

DE OFFICIO PRÆFECTI VRBI.

Vide quæ suprà, titulo de origine juris dicta. Hunc villicum dixit Iuvenalis, nimirum quia sub Nerone ita jacuit urbis præfectura, quasi urbs ipsa jam tum esset villa Principis. Scholiastes ad Iuvenalem. Discimus Floriani tempore senatum recuperata potestate voluisse ab omnibus potestatibus

ſtatibus ad præfectum urbis provocari. Sed non manſit is mos, redactaque ejus juriſdictio ad centeſimum milliare⌣. Ab ipſo autem appellabatur Imperator, vide Ammianum XXVIII. Iudicabat præfectus urbis etiam de Senatoribus. Symmachus II. 75. L. actor. Cod. Theod. de⌣ juriſdictione, & L. Quia, de maleficis. Caſſiodorus VI. 4. Rutilius Gallicus hoc functus munere, cuſtos urbis dicitur Iuvenali. de quo Gallico Papinius,

Quem penes eſt trepidæ mitis cuſtodia Romæ.

ibidem dicitur, proxima cervix ponderis immenſi: oſtenditurque curam habuiſſe & municipiorum, & coloniarum, quas urbes togatas vocat poëta.

DE OFFICIO PRÆTORVM.

Prætor, præfectus vigilum, præſides ſpectabiles erant. patet ex inſcriptionibus.

Barbarius Philippus] Eſt hæc hiſtoria & apud Suidam in voce βαρβάριος.

Et verum, puto, nihil eorum reprobari] Sic Ariſtoteles Politicorum III. 2. defendit etiam non juſtè civem factum, civem dici. Et presbyteri facti ab Epiſcopo, qui ritè factus Epiſcopus putabatur etiamſi poſtea vitio factus Epiſcopus cognoſcatur, presbyteri manent. vide Balſamonem ad ſynodum Sardicenſem⌣.

Cùm etiam potuit populus Romanus ſervo decernere hanc libertatem] Et eum liberum facere ex vi dominii eminentis. Sic Athenienſium decretum recitat Dion Chryſoſtomus ſermone XV. de libertate donandis ſervis ob militiam⌣. Et Ariſtoteles dicto loco commemorat à Cliſthene poſt tyrannos ejectos etiam ſervos adſcriptos tribubus. Sic Vindicium populus Romanus Bruto conſule fecit liberum, Livius II.

752607

DE OFFICIO QVÆSTORIS.

Longè aliud libera republica, aliud sub Cæsaribus hoc munus. Libera republica quæstor à quærendo, qui conquireret pecunias publicas. Varro. Quæstores ærarium curabant, ejusque pecunias expensas & acceptas, in tabulas publicas referre consueverant. Asconius. Ea cura postea ad præfectum ærario translata. Gellius XII. 23. Quæstor sub Cæsaribus precum auditor, legum conditor Symmacho I. 17. Armarium legum Cassiodoro VI. 5. vox legum VIII. 13. Corippo:

procerum deus, arbiter orbis,
Principis auspicio, leges & jura gubernans,
Iustitiæ vindex, inopum pater, omnia curans
Iudiciis relevare pius.

Institutio est à Constantino Magno, ut tradit Zosimus V. Codicilli apud Cassiodorum VI. Descriptionem hujus officii luculentam habes apud Cassiodorum VIII. 7. 8.

L. I.

Triumviri præerant] De quibus dictum ad titulum de origine juris.

Erat autem familia publica circa portam] Indici solita per castra aversa. Vide inscriptiones Gruteri p. 248. 358. 411.

Cum hamis & dolabris] Et cum siphonibus: Plinius X. 42. cum hamis & aqua: Scholiastes Iuvenalis, qui & cohortem ejus Sparteolos vocatos dicit.

DE OFFICIO PROCONSVLIS ET Legati.

L. Omnes.

Omnes Proconsules statim quùm urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem, sed nod contentiosam, sed volunta-

voluntariam, ut ecce manumitti apud eos possunt tam liberi quàm servi] Manumissione nempe illa pleniore, quæ cives Romanos facit. Plin. VII. epist. 16. de Calestrio Tyrone, qui Proconsul provinciam Bæticam petiturus, per Ticinum transibat, ad Fabatum prosocerum suum scribens, qui non longè à Ticino agebat: *Spero, imò confido, facile me impetraturum, ut ex itinere deflectat ad te, si voles vindicta liberari, quos proximè inter amicos manumisisti.*

L. *Observare.*

Proficisci autem proconsulem melius quidem est sine uxore, sed & cum uxore potest] Egregiæ hac de re in partem utranque dissertationes apud Tacitum Annalium III. Est hæc lex desumpta ex libris Vlpiani de officio proconsulis, quos sæpè citatos invenies in Glossario, quod primus edidit Henricus Stephanus.

Vt si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur] Iuvenalis Satyr. VIII.

Si tibi sancta cohors comitum, si nemo tribunal
Vendit acersecomes, si nullum in conjuge crimen
Nec per conventus, & cuncta per oppida curvis
Vnguibus ire parat nummos raptura Celæno,
Tunc licet à Pico numeres genus.

Vbi Scholiastes: *Si nemo servorum tuorum actus tuos vendit: si ephebus intonsus non est, pro quo sententia distrahatur, si uxor tua te administrante nihil rapit: denique si vir es bonus, patiar ut, falso licet, ex quovis genere nobili tibi fingas originem, vel à Pico, qui Fauni pater fuit.* Cicero ad Q. fratrem: *Quos verò aut ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis apparitoribus, tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modò facta, sed etiam dicta omnia nobis præstanda sunt.*

Observare oportet, ut per eam partem provinciam

752607

ciam ingrediatur, per quam ingredi moris est, & quas Græcia ἐπιδημίας vocat, sive καταπλοῦς: observare in quam primùm civitatem veniat vel applicet. Magni enim facient provinciales servari consuetudinem istam, & hujusmodi prærogativas.] Plinius VIII. epist. 24. *Reverere gloriam veterem, & hanc ipsam senectutem, quæ in homine venerabilis, in urbibus sacra est. sit apud te honor antiquitati.* vide & cætera ibi egregia.

L. Nec quicquam.

Circa advocatos patientem esse proconsulem oportet] Plinius VI. epist. 2. *Equidem quoties judico, quod vel sæpius facio quàm dico, quantum quis plurimum postulat aquæ, do. etenim temerarium existimo divinare quàm spatiosa sit causa inaudita, tempusque negotio finire, cujus modum ignores, præsertim cùm primum religioni suæ judex patientiam debeat, quæ pars magna justitiæ est.* Cicero in epistolis ad fratrem, quam sæpè legant & relegant censeo, qui in provincias mittuntur, Octavium laudans: *quoties quisque voluit dixit, & quamdiu voluit.* Plinius Panegyrico: *finem sermoni, suus cuique pudor, non tua superbia fecit.*

Sed cum ingenio, ne contemtibilis videatur] Ne ei eveniat quod Claudio Imperatori, qui ita exiluit, ut passim, ac propalam contemtui esset, adeo causidicis patientia ejus solitis abuti, ut descendentem è tribunali, non solum voce revocarent, sed & lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso, retinerent. Hæc de eo Suetonius, qui & alia addit. Confer L. observandum, D. de officio præsidis.

Scilicet ut omnium desideria audiantur, ne fortè dum honori postulantium datur, vel improbitati creditur, mediocres desideria sua non proferant] Cicero: *Adjungenda est facilitas in audiendo.* & post: *Facillimos esse aditus ad te: patêre aures tuas*

querelis omnium: nullius inopiam ac solitudinem, non modò nullo populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tua, & cubiculo esse exclusam.

L. Proconsules.

Proconsules non amplius quàm sex fascibus utuntur] Sunt ἑξαπελέκεις, ut Polybius loquitur.

L. Proconsul.

Proconsul portam Romæ ingressus deponit imperium] Cicero epist. ad famil. 1. 9. *Se, quoniam ex Senatusconsulto provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset.* Appianus Civilium 1. de Metello Pio. ἀνθύπατος ἔτι ὢν· ἔστι γὰρ εἶναι τοῖς αἱρεθεῖσι ἔστε ἐπανέλθοισιν εἰς Ῥώμην. *Cùm Proconsul esset, manent enim proconsules, donec Romam redierint.*

DE OFFICIO PRÆFECTI AVgustalis.

Eum regis loco fuisse dicit Strabo, & Tacitus Historiarum 1. Equestres qui Ægypto præsiderent, dixit idem Tacitus annalium XII. additque apud eos lege actum, ac decreta eorum perinde haberi, ac si magistratus Romani constituissent. Causas cur equitibus Romanis, non autem senatoribus, permissa ea provincia, refert Tacitus historiarum libro. Meminit & Palladius in vita Chrysostomi.

DE OFFICIO PRÆSIDIS.

Descriptionem hujus officii habes apud Cassiodorum VII. 2. Adde Iuvenalem Satyra VIII. & ibi Scholiasten.

L. Illi-

752607

L. Illicitas.

Ex fide eorum qui probabuntur] Sæpe enim,
τὸ τοι νομιζὸν τῆς ἀληθείας κρατεῖ.
Vim veritatis vincit id quod creditur.

L. Ex omnibus.

Correctorum] Sic dicebantur qui Lucaniam & Brutios regebant : Victor in Aureliano. Cassiodorus III. 47. & qui Thusciam : Ammianus testis.

L. Sed licet.

Non tamen spectandum est] Puto scriptum fuisse : *non tam tamen spectandum est.* sed excidisse literas tres, quod eædem vocis sequentis initium faciant. Frequens id in Pandectis Florentinis.

L. Congruit bono.

Sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet] Cicero dictâ epistolâ ad fratrem. *Sublata Mysia latrocinia, cædes multis locis repressas, pacem tota provincia constitutam. Neque solùm illa itinerum atque agrorum, sed multo etiam plura & majora oppidorum, & furta, & latrocinia esse depulsa.* vide suprà L. I. §. quies. de officio Præfecti urbi. Bonus judex κυβερνήτου τρόπον ἀγαθοῦ τοὺς χειμῶνας τῆς ταραχμάτων ἐξευδιάζῃ, ἕνεκα σωτηρίας καὶ ἀσφαλείας τὰ οἰκεῖα ἐπιτρεψάντων αὐτῷ. *More boni gubernatoris sedat tempestates in rebus ortas, idque ad salutem & quietem eorum, qui res suas ipsi permisere.* Philo libello περὶ δικαίου, ubi & alia sunt hujus argumenti egregia.

L. Observandum.

Ne præsides provinciarum in ulteriorem familiaritatem provinciales admittant] Cicero dictâ epistolâ : *In provincia verò ipsa, si quem nactus es qui fami-*

familiaritatem tuam penitus intravit, qui nobis antè fuerit ignotus, huic quantum credendum sit, vide: non quia non possint multi esse provinciales viri boni: sed hæc sperare licet, judicare periculosum est. Et postea: *Sin autem id non perspicis, nullum erit genus in familiaritate cavendum magis, propterea quod & omnes vias pecuniæ norunt, & omnia pecuniæ causa faciunt: & quicum victuri sunt, ejus existimationi consulere non curant.* Est egregia Libanii oratio, qua ingressus illos ad judices, eorum qui negotia non habent, vetari vult.

Sed & in cognoscendo, neque excandescere adversus eos quos malos putat, neque precibus calamitosorum illacrimari oportet. id enim non est constantis, & recti judicis, cujus animi motum vultus detegit. Debet enim judex esse semper constans, legumque similis. Cato dicebat, τὸν ἄρχοντα ἢ κρίτην δεῖν μήτε ὑπὲρ τῶν δικαίων λιπαρεῖσθαι, μηδὲ ὑπὲρ τῶν ἀδίκων ἐπιλιπαρεῖσθαι· Eum qui magistratus sit, aut judex, neque pati debere, ut oretur pro rebus justis, neque pro malis hominibus deprecationes admittere. Seneca verò de Clementia 1. 7. *Regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia non ex majestate est.* Dixerat antè cap. 5. *Magni animi proprium est, placidum esse tranquillumque.* Cicero ad fratrem: *Sed te illud admoneo, ut si hoc planè vitare non potes, quod antè occupatur animus ab iracundia, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur, te ante compares, quotidieque meditere, resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tunc tibi esse diligentissimè linguam continendam, quæ quidem mihi virtus, non interdum minor videtur, quàm omnino non irasci. Nam illud non solùm est gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis. Moderari verò & animo & orationi cùm sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorẽ, etsi non est perfectæ sapientiæ,*

tamen

752607

tamen est non mediocris ingenii. Iuvenalis dictâ Satyrâ VIII.

Exspecta diu tandem provincia, cùm te
Rectorem accipiet, pone ira frana, modumque,
Pone & avaritiæ: miserere inopum sociorum.
Ossa vides Regum vacuis exucta medullis.
Respice quid moneant leges, quid Curia mandet,
Præmia quanta bonos maneant.

Deinde:

Quòd si præcipitem rapit ambitio atque libido,
Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te
Delectant hebetes lasso lictore secures,
Incipit ipsorum contra te stare parentum
Nobilitas.

Adde quæ ex Plinii epistola modò attulimus.

DE OFFICIO PROCVRATORIS Cæsaris vel rationali.

Hunc curatorem Cæsaris dixit Callistratus infra I. 3. κηρύκων Καίσαρος, dixit Harmenopulus, addiditque suo sæculo dictum λογοθέτης. In Ægypto vocabatur ἴδιος λόγος, teste Strabone. Descriptionem hujus muneris habes apud Statium Iacrymis Ethruscí. Adrianus procuratores latius vagantes coercuit, teste Spartiano. His succedere posterioribus sæculis Comites sacrarum largitionum, patrimonii, rei privatæ, & alii.

DE OFFICIO IVRIDICI.

Alexandriæ scilicet: quem Strabo verbum verbo reddens, nominat Δικαιοδότης.

DE OFFICIO ADSESSORVM.

Scholiastes ad illud Iuvenalis:

me nemo ministro
Fur erit:

Non possum adsessor esse furis judicis. Hos Philostratus in Apollonii vita, V. 13. vocat ξυνέδρους τῷ

συμβουλους τῶν ἐν δικαστηρίῳ γνώμης. νομικοὺς vocat Gregorius Thaumaturgus in laudibus Origenis. Consiliarios Ammianus libro XXV. XXVIII. ter.

L. Si eadem.

Nec videbitur in sua provincia adsedisse] Quod vetitum Romanis legibus, qua de re & Nigri fuit constitutio: eas imitatus est Fredericus Imperator libro I. legum Neapolitanarum, titulo XLVIII. Antoninus etiam provinciarum præsides vetuit esse ex quaque ortos provincia. narrat Dion.

L. Diem.

Diem functo Legato Cæsaris] Id est, præside missо in provincias Cæsarianas. Proconsules enim & propretores in provincias populi mittebantur. distributio hæc ab Augusto, ut nos docent Strabo libro tertio, & fine ultimi. Suetonius XLVII. & XLVIII. Dion libro LIII.

L. In consilium.

In consilium curatoris reipublicæ] De curatoribus reipublicæ, vide L. curatores, & L ult. D. de administratione rerum ad civitates pertinentium.

QVOD QVISQVE IVRIS IN ALTERVM statuerit, ipse eo jure utatur.

Cicero ad Q. fratrem: *Qui in magistratibus injuriose decreverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum.*

DE IN IVS VOCANDO.

In jus vocari non oportet neque consulem, neque præfectum, neque prætorem] Ædiles Curules & Quæstores à prætore in jus rectè vocantur, quia neque vocationem, neque prehensionem habent.

ita ex

752607

ita ex Varrone Gellius XIII. 13. His qui ad judicia transmitti jubebantur, dati legibus Imperatorum dies XXX sub custode, ad res domi ordinandas, & sumptus parandos. Discimus id ex Augustini epistola CCXXVIII. & duabus sequentibus.

SI QVIS IN IVRE VOCATVS NON ierit, sive quis eum vocaverit, quem ex jure non debuerit.

Olim vadimonium dictum; quo promittit se is qui ad judicium vocatur, certo die affuturum. ita Scholiastes Horatii. Seneca de beneficiis, IV. 39. *Vadimonium promittimus, tamen deseritur. non in omnes datur actio: deserentem vis major excusat.*

IN IVS VOCATI VT EANT, AVT satis vel cautum dent.

Scholiastes ad Horatium: *Olim qui attestabatur tangens auriculam ejus, quem testem cupiebat, his verbis loquebatur, Licet antestari? Si ille respondisset, licet, per injectionem manus ipse vadatur; quod si non paruisset, adversarium suum in judicium rapiebat. quod si antestatus non esset, & manum vadatus injecisset, injuriæ reus constitui poterat.* Deinde locum adfert ex Persa Plauti, qui sic habet:

SA. *Age, ambula in jus leno,* PO. *Quid me in jus vocas?*

SA. *Illuc apud prætorem dicam. Sed ego in jus voco.*

PO. *Nónne antestaris?* SA. *Tua ne ego causa carnufex*
Cuiquam mortali libero aures atteram.

DE EO PER QVEM FACTVM ERIT quo minus quis in judicio sistat.

Sistere à stando. Stabatur in judicio, ut Horatius, & ejus Scholiastes nos docent. Sicut autem in jus vocatis, ita & militibus excusationes quædam

dam legitimæ erant quo minus adessent, ob funus familiare, ob ferias denicales, ob morbum sonticum, & alia, quæ memorat Gellius XVI. 4.

DE FERIIS ET DILATIONIBVS.

Sunt autem feriæ stativæ, aut conceptivæ, aut imperativæ, aut nundinæ, aut familiarum propriæ: eodem libro 16. Conceptivæ quibus verbis concipi solerent habes apud Gellium X. 24. & Macrobium Saturn. 4. Edici eas solere dicit Varro libro 8. indici Ovidius Fastorum II. Inter stativas sunt æstivæ apud Gellium, vindemiæ apud Arnobium, quarum & hic L. 1. mentio. Inter familiarum proprias sunt denicales apud Gellium XVI. 4. Feriarum in Ianuario meminit Macrobius, Sat. 1. 2. Idem feriarum Divæ Angeroniæ, & Saturnalium meminit. 1. Sat. 10. Ferias fori pacem vocat Papinius, sicut contrà Varro inducias vocat castrorum ferias.

L. More.

More Romano dies à media nocte incipit] Tractat id ex Varrone Gellius III. 2. & Macrobius 1. Sat. 3.

DE EDENDO.

L. Prætor.

Prætor ait argentariæ mensæ exercitores, rationem quæ ad se pertinent, edant] Hic est grandis ille codex argentariorum, cujus meminêre Iuvenalis Sat. VII. & ad eum Scholiastes. De mensariis & auctionibus leges edidit M. Antoninus philosophus.

DE PACTIS.

L. 1.

Et est pactio duorum pluriúmve in idem placitum consensus] Eodem ferme modo ברית definitur ab Abenesdra. Placitum hîc intellige, non quomodo

752607

quomodo Philosophorum placita dicimus, sed id quod agendum est, Aristoteles IX. Nic 6. Φιλικὸν δὲ καὶ ἡ ὁμόνοια φάνεται διάφορ ὃν ἔστιν ὁμοδοξία· τοῦτο μὲν γὰρ καὶ ἀγνοοῦσιν ἀλλήλους ὑπάρξειεν ἄν· οὐδὲ τοὺς περὶ ὁτουοῦν ὁμογνωμονοῦντας ὁμονοεῖν φασιν, οἷον τοὺς περὶ τῶν ἀστρονόμων· οὐ γὰρ φιλικὸν τὸ περὶ τῶν ὁμονοεῖν· ἀλλὰ τὰς πόλεις ὁμονοεῖν φασιν, ὅταν περὶ τῶν συμφερόντων ὁμογνωμονῶσι, καὶ τὰ αὐτὰ προαιρῶνται, καὶ πράττωσι τὰ κοινῇ δόξαντα· περὶ τὰ πρακτὰ δὴ ὁμονοοῦσι. *Ad amicitiam spectat & concordia, quare non idem est quod coopinatio: ea enim etiam inter se mutuò non cognoscentes evenire potest: neque verò eos qui de quavis re consentiant, concordes dicimus, putà de rebus cœlestibus. Neque enim talis consensus ad amicitiam pertinet: sed concordes solent dici civitates ubi consentiunt de rebus utilibus, eademque probant & faciunt, quæ communiter placuere. Ergo concordes sunt homines circa res agendas.*

Nam & stipulatio, quæ verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est] Videtur scriptum fuisse, *conventum*. nam de conventionis verbo agitur.

Sed etiam tacito consensu convenire intelligitur] Silentio ut dixit Iavolenus, L. ex lege, D. locati. Vide quæ nos diximus libro III. de jure Belli ac Pacis, XXIV.

L. Si unus.

Si unus ex argentariis sociis cum debitore pactus sit, an etiam alteri noceat exceptio: Neratius, Atilicinus, Proculus, nec si in rem pactus sit nocere] Rectè: itaque qui pro sociis transigit, satisdare solet, neminem eorum posteà petiturum. alioqui malè cautum est ei quicum pactio facta est. quod luculenter disserit Cicero pro Roscio Comœdo.

L. Ius publicum.

Ius publicum privatorum pactis mutari nequit] Est

Est enim aliquid ἄδικον τάξει, ex positione injustum, Aristoteles v. Nico. 10.

DE TRANSACTIONIBVS.

Demosthenes in exceptione contra Pantænetum, cùm legem recitari jussisset, quæ erat de transactionibus, ait: Ακούετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῦ νόμου λέγοντος ἂν πικρὸς, ὃν ἀφῇ ἡ ἀπαλλαξία τις, μηκέτι τὰς δίκας εἶναι. ἐμοὶ ὅπου μὲν ἀμφότερα δῆλα πεπραγμένα ταῦτα τούτῳ πρὸς ἡμᾶς, ἠκούσατε τῶν μαρτύρων. ἁπάντων μὲν τοίνυν ἐν τοῖς νόμοις ἀπειρημένων ἐν προσήκῃ δικάζεσθαι· ἐχ ἥκιστα ἂν τούτων. ἃ μὲν γὰρ τὸ δημόσιον πέπραχεν, ἔχοι τις ἂν εἰπεῖν, ὡς ἀδίκως, ἃ δ' ἰδιώτην πέπραχε. ἐπεὶ οὖν ἔγνω τὸ δικαστήριον ὄντα εἰπεῖν ὡς ἐξαπατηθὲν τοῦτ' ἐποίησε, καὶ περὶ ἄλλων τῶν ἐν τῷ νόμῳ κειμένων, καθ' ἑκάστου χωρίς, ἂν τις εἰκότως λέγῃ, ἃ δ' αὐτὸς ἐπείσθη καὶ ἀφῆκεν, ἐκ ἔνι δήπουθεν εἰπεῖν, ἃ δ' αὐτὸν ἀπάσασθαι, ὡς ἃ δικαίως ταῦτ' ἐποίησεν· οἱ μὲν οὖν παρά τε τῶν ἄλλων τούτων δικαζόμενοι τοῖς ὑφ' ἑτέρων δικασθεῖσιν ὠφελοῦνται ἐκ ἐμποδίσουσιν. ὁ δ' ὧν ἂν ἀφῇ πάλιν λαχὼν, τοῖς ἐφ' ἑαυτῷ, διὰ πάντων μάλις, ἄξιον τούτοις χαλεπαίνειν. *Auditis, Athenienses, quàm aperte lex dicat quibus quis de rebus alium absolverit, cumque eo transegerit, de eo ultra actionem non dari. Hæc verò utraque in hoc negotio nobis cum ipso intervenisse ex testibus didicistis. Cùm verò nulla de re, quæ lege interdicta sit, in jus veniendum est, tum de hac minimè. Nam quæ egit populus, ea dici possunt non ex jure, neque ex officio facta. de quibus judices sententiam dixêre, dici potest eos id fecisse deceptos. Pariter de cæteris rebus, de quibus leges tale quid constituunt, aliquid in speciem adferri potest. At quæ quis sua voluntate transegit, de iis nihil potest dicere, neque se reum facere, quasi injusti aliquid patraverit. tum verò qui de cæteris rebus vetitis litigant, ii non stant juri quod ab aliis constitutum est. atqui de transactis judices vult sortiri, ei juri non stat quod* consti-

752607

constituit ipse, quare his maximè succensendum est. Paria dicit idem orator in exceptione pro Phormione: Ακούετε τῦ νόμου λέγοντος, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι, τά τε ἄλλα ὧν μὴ εἶναι δίκας ἅ ὅσα τις ἀφῆκεν, ἢ ἀπήλλαξεν· εἰκότως. εἰ γὰρ ἔστι δίκαιον ὧν αὖ ἅπαξ γνῶσι δίκη, μηκέτ' ἐξεῖναι δικάζεσθαι, πολὺ τῶν ἀφεθέντων δικαιότερον μὴ εἶναι δίκας. ὁ μὲν γὰρ ἐν ὑμῖν ἡττηθεὶς τάχα ἂν εἴποι, ὡς ἐξηπατήσθε ὑμεῖς. ὁ δ' αὐτῦ φανερῶς καταγνοὺς ἅ ἀφεὶς τίν' ἂν ἑαυτὸν αἰτίαν αἰτιασάμενος τῶν αὐτῶν πάλιν εἰκότως δικάζοιτο; ἀδεμίαν δήπου. *Audite quasò, Athenienses, dicentem legem, quæ sint de quibus judicium reddi non oporteat; inter ea verò esse ea quæ remissa, quæque transacta sunt. Meritò sanè: nam si, de quibus rebus judicatum est, de iis non datur nova actio, multò justius non dari actionem de rebus transactis. nam qui in judicio succubuit, potest dicere vos esse deceptos. At qui semel damnavit, qui remisit, qui transegit, quo crimine semet accusans, rem denuò ad judicem perducet? nullò certè.* Symmachus libro VII. epist. 108. *Post consensum partium, post vinculum pactionis, allegataque in judicio monimenta placitorum, filius meus Caecilianus denuo ad incerta litis attrahitur.* Et mox: *Iustitiam tuam debet incitare, adversum fidem placiti rupti concordia.* Et epistola sequente: *Comperta est improbitas eorum qui reducunt in quæstionem pactionibus terminata, & per impatientiam quietis, finem jurgii secunda lite commutant.*

L. Cùm Aquiliana.

Liberalitatem enim captiosam interpretatio prudentium fregit] Eruditè, ut alia multa, Desiderius Heraldus corrigit: *Liberationem enim captiosam interpretatio prudentium fugit.*

Dum feminas prohibet pro aliis postulare] Plutarchus Numa: λέγεται γοῦν ποτε γυναικὸς εἰπούσης δίκλω ἰδίαν ἐν ἀγορᾷ, πέμψαι τὸ σύλλετον εἰς θεοὺς πυν θα-

πυνθανομένου, τίνος ἄρα τῇ πόλει σημεῖον εἴη τὸ γεγονὸς τέρας. *Narratur Senatus, cùm femina quædam suam in causam in publico egisset, misisse percunctatum deos, quid hoc portenderet.*

DE POSTVLANDO.

De servis nihil opus fuit agere Prætorem, quia id notissimum erat:

Servum hominem causam orare leges non sinunt. Terentius Phormione.

DE HIS QVI NOTANTVR INFAMIA.

Intra id tempus, quo elugere virum moris est] Id est, intra menses decem: ut Plutarchus docet in Antonio, cui à Senatu gratiam factam hujus legis narrat, ut Octaviam recentem viduam duceret.

DE PROCVRATORIBVS AC defensoribus.

Asconius Pedianus in divinationem: *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, si orator est; aut advocatus, si aut jus suggerit, aut præsentiam suam commodat amico; aut procurator, si negotium suscipit; aut cognitor, si præsentis causam novit, & sic tuetur ut suam. ergo cognitorem dixit modò familiarissimum defensorem.* Et ad tertiam Verrinam: *Hoc genus defensoris in jure cognitor dicitur, maximè cùm de alicujus statu agitur.*

L. Si defunctus.

Si defunctus sit dominus ante litem contestatam judicatum solvi stipulatione pro suo procuratore data, procurator compellendus est ad judicium accipiendum: ita tamen, si hoc dominus sciente procuratore & non contradicente fecit] Multo magis id locum habebit post litem contestatam. Symmachus x. 32. *Successit aliud, ut obitu Martiana C. F. mandatum diceretur*

752607

retur extinctum. Sed contra venerabilis Iuliani sanctio stare procuratorem jussit officio, dominus viventibus inchoato. Ea Iuliani constitutio est prima in titulo Codicis Theodosiani de cognitoribus & procuratoribus, & vigesima tertia in Codice Iustinianeo de procuratoribus, sic habens: *Nulla dubitatio est, post causam in judicio publicatam, utpote dominum litis procuratorem effectum, etiam post excessum ejus qui defensionem mandaverat, posse inchoatam litem jurgiumq; finire, quippe cùm & procuratorem posse eum instituere, & ad heredes suos inchoata transmittere veteres juris voluerint conditores.*

QVOD CVIVSCVNQVE VNIVERSITATIS nomine vel contra eam agatur.

Et actorem sive syndicum] In Notis A. P. *Actor provinciæ.* Ecdicus Amisenorum civitatis apud Plinium x. epist. III. Ecdici Milasii apud Ciceronem XIII. epistola 56.

DE NEGOTII GESTIS.

Plautus Mostellaria: *Quod me absente hic tecum filius negotium gessit.* Iure Hebræorum, qui alienum negotium gerit, ut servet quod ob id ipsi abest, paciscì aut protestari debet: alioqui solam operæ mercedem laturus. Baba Kamma x. §. 4.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS.

Symmachus IX. II. *Circumscriptus enim quantum res docuit, improvida cautione, non debet noxam rusticæ facilitatis incidere.*

QVOD METVS CAVSA GESTVM ERIT.

L. Metum.

Metum autem non vani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat] ἃ ἐπ᾽ ἀνθρώπιλω φύσιν ὑπερέιδ, quæ naturæ humanæ vires excedant. Arist. Nic. III. I. Martialis XI.

Quid si me tonsor cum stricta novacula supra est,
Tunc libertatem, divitiásque roget?

Promit-

Promittam. Nec enim rogat illo tempore tonsor?
Latro rogat. res est imperiosa timor.
Sed fuerit curva cum tua novacula theca,
Frangam tonsori crura, capút: que simul.

L. Item.

In hac actione non quaritur, utrum is qui convenitur, an alius metum fecit: sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum vel vim, & ex hac re, eum qui convenitur, etsi crimine caret, lucrum sensisse] Seneca in controversia: Expositum repetens de duobus: *An si est in re vis & necessitas, ita tamen rescindantur quæ per vim & necessitatem gesta sunt, si vis & necessitas à paciscente adhibita sit. Nihil, inquit, mea an tu cogaris, si non à me cogaris. meam culpam oportet esse, ut mea pœna sit. Non, inquit. neque enim lex adhibenti vim irascitur, sed passo succurrit: & iniquum illi videtur id ratum esse, quod aliquis non quia voluit, pactus est, sed quia coactus est: nihil autem refert per quem illi necesse fuit. iniquum enim quod rescinditur, facit fortuna ejus qui passus est, non persona facientis.* Et in altera controversia: Patronus operas remissas repetens. *non mea, inquit, sed aliena vis fuit. Æque dignus est pœnâ, qui ipse vim adhibet, & qui ab alio admotâ, ad lucrum suum utitur.*

DE DOLO MALO.

Gallus Aquilius formulas protulit de dolo malo: in quibus cum ex eo quæreretur, quid esset dolus malus, respondebat: Cum esset aliud simulatum, aliud actum. Cicero tertio de officiis, ubi & quid sit ex bona fide, egregiè explicat. Idem de natura deorũ, libro III. ait judicium illud de dolo malo quod C. Aquilius protulit, everriculum esse malitiarum omnium. benè everriculum, quia sicut everriculum omnia capit piscium genera, ita nihil malitiosi hanc formulam potest effugere.

L. Ee

752607

L. Et eleganter.

Et eleganter Pomponius hæc verba, si alia actio non sit, sic excipit, quasi res alio modo ei, ad quem ea res pertinet, salva esse non poterit] Pro *quasi*, legendum *sique*: transpositis literis, & mutatione levi. pari fermè modo suprà de pactis, L. in emtionibus, scriptum est *debitor*, pro *venditor*.

DE MINORIBVS VIGINTI QVINque annis.

Cratinus juris Attici consultus in Phormione Terentii:

quod te absente hic filius
Egit, restitui in integrum æquum est, & bonum,
Et id impetrabis. dixi.

DE ALIENATIONE IVDICII mutandi causa facta.

Difficile est ut bona causa sit, cujus actio in jus alterius desperatione transfertur. ait Symmachus x. epist. 45. ubi & hoc addit: *Secutus igitur scita manifesta, & nullis principum vacuata responsis, cessare processum negotii judicavi, cùm lis alteri denuntiata, aliam personam temporibus exactis tenere non posset.* Edictum Theodorici XLIII. *Nullus ad potentem Romanum, aut barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones. quod si fecerit, jacturam litis jurgator incurrat, & is qui susceperit, medietatem pretii rei æstimatæ fisco cogatur inferre. qua pœna teneri præcipimus etiam eos, qui rem in lite positam in hujusmodi crediderit transferendam esse personam.*

DE RECEPTIS QVI ARBITRIVM Receperunt, ut sententiam dicant.

Cassiodorus VIII. 17. *Ex judicibus natus arbitrum agebat, quod nisi ex morum probitate nulla potest contingere ratione. nam fascibus obedire plerum-*

que poteſtatis neceſsitas cogit : parêre judici privato, ſola ſententiarum probitas facit. unde nobis plus laudis habere videtur voluntarius judex : quando ad audientiam non eligitur, niſi qui juſtus eſſe, moribus æſtimatur. Splendida arbitria apud Horatium Scholiaſtes interpretatur, abſque ullo fuco, aut obſcuro odii invidiæve livore. Habes apud Apollodorum ſententias arbitrales Tireſiæ & Idæ.

L. Labeo ait ſi arbiter.

Non valere prolationem, ſententiæque ejus impunè non pareri] Exemplum habes apud Crantium Saxonicorum x.

L. Diem.

Inde quæritur apud Iulianum ſi ex tribus arbitris unus quindecim, alius decem, tertius quinque condamnarent, cui ſententiæ ſtetur, & Iulianus ſcribit quinque debere præſtari, quia in hanc ſummam omnes conſenſerunt] Imo in decem: quia in hanc ſummam major pars conſenſit, rejecto in quo diſcrepabant. ita nos exiſtimavimus libro II. de jure Belli ac pacis v. 19. at Iuliani ſententiam probat Bonifacius octavus c. 1. de Arbitris in ſexto.

NAVTÆ, CAVPONES, STABVLARII recepta ut reſtituant.

Edicto Theodorici Regis hi ſi præſtent ſacramentum de conſcientia ſua ſuorumque, nihil cogentur exſolvere. CXIX.

L. Et ita.

Inde Labeo ſcribit, ſi quid naufragio, aut per vim piratarum perierit, non eſſe iniquum exceptionem ei dari] Ἐαν ὁ εἰπὼν δεξάμενος φυλάττειν ταῦτα ὅτε ἀπώλετο, δεῖ δηχθῆναι τὸ διαρυχὼ, ἢ

752607

ἐὰν τὰ σῦλα πόθεν ὑπάρχῃ. *Quod si dicat qui suscepit, se res custodisse quo tempore perierunt, debet ostendi perfossio, aut unde rapina advenerit.* ita est in legibus navalibus.

DE IVDICIIS.

Iudicium pro actione ex lege sumsit Horatius, ut vult Scholiastes. propriè est actus compositus ex actore, reo, judice. idem Scholiastes urnam interpretatur aut pro sorte, qua damnabantur, aut absolvebantur rei; aut ad rejectionem judicum, quia ut sorte eligebantur, ita sorte rejiciebantur. Addit Centumviros tabulis tulisse sententiam, in quibus centumvirorum nomina apposita non essent. Servius ad illud:

Non vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes.

Traxit autem hoc ex more Romano. non enim audiebantur causæ nisi per sortem ordinatæ. tempore enim quo causæ agebantur, conveniebant omnes. unde & concilium ait. Et ex sorte dierum ordinem accipiebant, quo post diem tricesimum suas causas exsequerentur. unde est, urnam movet. Asconius ad II. Verrinam. *Moris erat, celebratâ judicum rejectione, & haberi in officio prætoris, & in arcâ reponi nomina judicum selectorum. rejectio autem iccirco dicitur, quia cùm multi judices in consilio cum prætore suo judicaturi essent, qui quæsitor fuisset in publica causa, verbi gratia, repetundarum, ambitus, majestatis; necesse fuerat eos primùm de decuria senatoria conscribi cùm senatus judicaret. deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset: tertiò, id est post urnam, permitti accusatori ac reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus ac fama judicum illorum, quos aut rejiciebant, aut retinebant, voluntatis conjecturam facere populus, quis causæ suæ confidere, quis corrumpere judices vellet. Rejectione celebrata, in eorum locum qui rejecti fuerant,*

subsortiebatur prætor alios, quibus ille judicum legitimus numerus compleretur. prima enim, sortitio dicebatur. Hic perfectis jurabant in leges judices, ut obstricti religione judicarent. Cùm juraſſent omnes præter ipſum prætorem, nomina eorum libellis, ut suprà diximus, continebantur, & ubique habebantur, ne pro ſelectis judicibus, ut fit in multitudine, aliqui ſuppoſiti corruptiſſimè judicarent, itaque ad prætoris tribunal conſiderent, ut judicaturi cum prætore ſuo. Habes de eodem more digna lectu apud eundem optimum ſcriptorem ad tertiam Verrinam. Auguſtus judices vigeſimo ætatis anno allegit, id eſt quinquennio maturiùs quàm legi ſolebant. In Valentiniano reprehendit Ammianus quod ſi quis eum adiſſet judicium potentis inimici declinans, aliumque ſibi poſtulans dari, hoc non impetrato ad eundem quem metuebat remittebatur. Apud Scholiaſten Horatii habes & illam prætoris in judiciis formulam: *Hic dies diffiſus eſto.* in judiciis primæ loquendi partes ſunt actoris. hoc nomine irridetur in prologo Eunuchi Terentiano Lavinius.

Atque in Theſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius unde petitur, aurum quare ſit ſuum,
Quàm illic, qui petit, unde is ſit theſaurus ſibi.

ut ad eum locum notat Donatus.

L. Filius familias §. 1.

Si evidens arguatur ejus vel gratia, vel inimicitia, vel etiam ſordes] Eadem tria vitia ponit Lucianus de conſcribenda hiſtoria: πρὸς χάριν ἢ πρὸς ἀπέχθειαν, ἢ ὅπη μισθῷ.

L. Tam ex contractibus.

Mortuo eo, in eum, quem defenderit, tranſactio vel judicati datur] *Tranſit actio vel judicati datur.* tranſit actio, ſi nondum judicatum eſt; datur actio judicati, ſi judicatum eſt.

L. Pro-

752607

L. Proponebatur.

Vt partibus commutatis eadem res esse existimaretur] Tractat hanc quæstionem Plutarchus de Ei, & de sera numinis vindicta. Seneca Epistola LVIII. & nos libro II. de jure Belli ac Pacis IX. §. 3. & in annotatis.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

L. Hoc colore.

Hoc colore inofficioso testamento agitur, quasi non sanæ mentis fuerint ut testamentum ordinarent] Hunc colorem vides apud Andociden de Cleomedis hæreditate circa finem, apud Isæum de Pyrrhi hæreditate, & Demosthenem in Olimpiodorum circa finem : & de posteriore Herodis testamento apud Iosephum antiquæ historiæ XVI. Etiam qui de Virgilii scripsit testamento, hujus coloris oblitus non est, nam ad objectum:

summa voluntas
Quod mandat, fierique jubet parere necesse est.

respondet:

si forte furenti
Erravit in mente dolor, si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis.

Quintilianus ait falsas esse expositiones, quas tueatur dicentis ingenium IV. 2. Iuvenalis:

Dic aliquem sodes, dic Quintiliane colorem.

Sic Æbutiæ tabulas testamenti plenas furoris dixit Valerius Maximus VII. 8. Multos colores ejusmodi habes in Senecæ controversiis. Si verò res ipsa hunc colorem non reciperet, pronuntiabat judex: Videri testatorem justas habuisse causas irascendi. Plin. V. Epist. 1.

L. Circa.

Evenire plerumque adsolet ut in una atque eadem cauſſa diverſæ ſententiæ proferantur] Nempe cum alii atque alii agerent, & apud diverſa conſilia. Non enim ſemper coactis conſiliis judicabatur. Plinius Ep. VI. 33. interdum diverſis tribunalibus. Quintilianus XII. 5. L. Cùm filius, D. de Legatis II. De inofficioſo teſtamento judicium erat centumvirale, ſive haſtæ. Valerius Maximus VIII. verſ. 7. 8. ubi multa habes ad hanc materiam ſpectantia.

DE HEREDITATIS PETITIONE.

L. qui interrogatus.

Qui interrogatus cur poſſideat, reſponſurus ſit, quia poſſideo] Vt Paris apud Libanium ὅτι ἔλαβον, *quia accepi:* ut Philippus de Haloneſo. ὅτι ἔχω *quia teneo.*

L. Sed etſi.

Tribus viſionibus relatis] Exſtat ea vox legibus VViſigithicis II. & I. cap 6. & in fine libri XII.

SI PARS HEREDITATIS PETATVR.

L. Antiqui.

Multas Ægypti uno utero ſeptenos] περὶ Αἰγυπτίων γυναικῶν δὲ ἐκφόρους, *fœcundæ in Ægypto mulieres.* Ariſtoteles de Hiſtoria animalium VII. 4. de partione quinque infantium exempla ſunt apud Gellium X. 2. & in jure civili id de Græca quadam reperiri teſtatur Tertullianus de anima. Similia habes apud Phlegontem Trallianum & Antigonum collectione mirabilium II. 9.

DE REI VINDICATIONE.

Narrat Gellius XX. 10. manum conſerere eſſe de qua re diſceptatur, in re præſenti, ſive ager, ſive quid aliud eſt, ſimul adverſarium manu prehenderit, in ea re omnibus verbis vindicare.

Addit:

752607

Addit: *Vindicia, id est correptio manus in re atque in loco præsenti apud Prætorem ex* XII. *tabulis fiebat. in quibus ita scriptum est: si qui in jure manum conserunt. Sed postquam prætores prorogatis Italiæ finibus, datis jurisdictionibus, negotiis occupati, proficisci vindiciarum dicendarum causa, in longinquas oras gravabantur, institutum est, contra* XII. *tabulas tacito consensu, ut litigantes non in jure apud Prætorem manum consererent, sed ex jure manum consertum vocarent. id est, alter alterum ex jure ad conserendam manum, in rem de qua ageretur, vocaret. atque profecti simul in agrum, de quo litigabatur, terræ aliquid ex eo, uti unam glebam, in jus & in urbem ad Prætorem deferrent. & in ea gleba tamquam in toto agro vindicarent.* Formulas ejus rei ostendit nobis Cicero pro Muræna: *dicebat Actor: fundus qui est in agro qui Sabinus vocatur, eum ego ex jure Quiritium meum esse aio. inde ego te ex jure manum consertum voco.* Reus: *unde tu me ex jure manum consertum vocasti, indibi ego te revoco.* Prætor: *suis utrisque superstitibus præsentibus istam viam dico: inite viam.* In Notis Probi E. I. M. C. V. *Ex jure manum consertum voco.* Servum vindicans manu injecta dicebat: *Hunc ego hominem jure Quiritium meum esse aio.* Boëtius in Topica Ciceronis. quo respiciunt Paulus in l. Si in rem D. Hoc Titulo. Plautus Rudente Act. III. sc. 1. Virg. nona Ecloga, *Diceret hæc mea sunt.* & in x. Æneidos: *Injecêre manum Parcæ.* Ovidius sæpe, ut

Et dicam mea sunt, injiciamque manus.

item *Injiciam dominas in mea jura manus.*

&, *Quem Venus injecta vindicat alma manu.*

Quintilianus in controversiis: *Translatis manus injicit & suos dicit.*

L. *Item.*

Si forte ager fuit qui petitus est, & militibus adsignatus est, modico honoris gratia possessori dato]

Hygenas de limitibus constituendis: *Quos dominos in possessionibus suis manere passus est, eorum conditionem mutasse non videtur.* Sic Alphenus Varus in divisione agri Mantuani jussus tria millia passus à muro in diversa relinquere. testis Servius ad IX. Eclogam.

DE SERVITVTIBVS PRÆDIORUM urbanorum.

L. Parietem.

Parietem qui naturali ratione communis est] De eo lex erat vetus, ne crassior fieret sesquipede. Plinius XXXV. 4.

L. Gaurus Marcello.

Qui binas ædes habebat, si alteras legavit, non dubium est quin heres alias possit altius tollendo obscurare lumina legatarum ædium] Ideo qui ædes vendebant, in mancipio recipiebant lumina ut erant. Cicero de Oratore: id est legem addebant, ne ædium retentarum lumina pejora, quàm erant, obstruendo fierent. Quæstionem de lumine vide apud Zonaram Theophilo, ubi de Patrona.

DE SERVITVTIBVS PRÆDIORVM rusticorum.

L. Qui sellam.

Quidam nec hastam rectam ei ferre licere, quia neque eundi, neque agendi gratia id facerent, & possent fructus eo modo ladi] Nempe ii fructus qui de arboribus pendent. rectas enim ferre hastas mos erat Romanis: Vide Scaligerum epistola CLXXXIII.

SI QVADRVPES PAVPERIEM fecisse dicatur.

Hæc ex jure Hebræo Exodi XXI ad Phænicas venêre: unde sumsit Solon, de quo Plutarchus: ἔγραψε δὲ καὶ βλάβης τετραπόδων νόμον, ἐν ᾧ

752607

κύνα δακόντα παραδοῦναι κελεύει κλοιῷ τετραπήχει δεδεμένον. *Scripsit & de pauperie à quadrupedibus data, ubi canem qui aliquem momorderit, dedi jubet cubitorum quatuor vinculo alligatum.* Ex Solone sumsit Plato de Legibus XI. ut si jumentum, aut equus, aut canis, aut animal domesticum quadrupes pauperiem fecisset, eodem modo damnum resarciretur, ac si servus dedisset, nempe vel noxam dedendo, vel restituendo quod alteri abesset, nisi intercessisset dolus.

L. 1.

Nec enim potest animal injuriâ fecisse, quod sensu caret] id est mente. Iustinus colloquio cum Tryphone. τί οὖν ἀδικοῦσι τινα αἶγες ἢ πρόβατα; ἀδὲν ἀδένα ἔμοιγε. *Quid verò an injuriam inferunt cuiquam capræ aut oves? minimè verò dixi ego.* Seneca de Ira II. 26. *Atqui ut his irasci dementiæ est, quæ animâ carent, sic & mutis animantibus, quia nulla est injuria, nisi à consilio profecta. Nocere itaque nobis possunt, ut ferrum aut lapis: injuriam quidem facere non possunt.*

Cum commota feritate nocuit quadrupes] Sic & Baba Kamma I. 4.

§. 5.

Sed & si canis, cùm duceretur ob aliquo, asperitate sua evaserit, & alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterit, vel si per eum locum induci non debuit; hæc actio cessabit, & tenebitur, qui canem tenebat] Baba Kamma IV. 9.

§. 8.

Et si alia quadrupes concitavit aliam ut damnum daret, ejus quæ concitavit nomine agendum est] Baba Kamma. II. 1.

Sive autem corpore suo pauperiem quadrupes dedit, sive per aliam rem, quam tetigit quadrupes, hæc actio

ocum habebit : ut putà, si plaustro bos obtrivit aliquem, vel alia re dejecta] Baba Kamma IV. 6.

AD LEGEM AQVILIAM.

L. Qua actione.

Si quis in colluctatione, vel in paneratio, vel pugiles dum inter se exercentur, alius alium occiderit, si quidem in publico certamine, cessat Aquilia: quia gloriæ causa & virtutis, non injuriæ gratia damnum datum] Tertullianus Scorpiace. *Injuriarum actiones extra stadium.*

L. Si servus.

Si cùm apes meæ ad tuas advolassent, tu eas exussseris, legis Aquiliæ actionem competere Celsus ait] Est non dissimilis controversia inter eas, quæ Quintiliani institutionibus subjici solent, talis argumenti: damni per injuriam dati sit actio: pauper & dives in agro vicino erant junctis hortulis. Habebat dives in horto flores, pauper apes: Questus est dives, flores suos decerpi ab apibus pauperis; denuntiavit ut transferret: illo non transferente, flores suos veneno sparsit; apes pauperis omnes perierunt. Reus est dives damni injuriâ dati. Ipsa declamatio digna quæ legatur, multa habens ad hunc titulum pertinentia.

Si mulier pugno, vel equa ictu à te percussa, ejecevit, Brutus ait Aquilia teneri quasi rupto] Baba Kamma. V. 4.

L. Qui foveas.

Qui foveas ursorum, cervorumve capiendorum causa faciunt, si in itineribus fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque deterius est, lege Aquilia obligati sunt] Baba Kamma V. 8.

L. Quem-

752607

L. Quemadmodum.

Quemadmodum si laqueos eo loci posuisses, quo jus ponendi non haberes, & pecus vicini in eos laqueos incidisset] Baba Kamma III. 2.

L. Quamvis.

Quamvis alienum pecus in agro suo quis deprehendisset, sic illud expellere debet, quomodo si suum deprehendisset] Abigere licet, ita ut ei non noceatur. Gemara ad Baba Kamma I. 2.

L. Ita.

Quòd si quis absurdè hæc à nobis constitui putaverit, cogitet longè absurdius constitui, neutrum legis Aquilia teneri] Id quod minus absurdum est, valet pro ratione.

L. Si ex plagis.

In clivo Capitolino duo plostra onusta mulæ ducebant] Non dissimiles casus habes in Baba Kamma III. 4.

DE HIS QVI EFFVDERINT vel dejecerint.

Habes de his rebus in Baba Kamma III. 2.

L. Cùm liberi.

Cùm liberi hominis corpus ex eo quod dejectum effusumve quid erit, lasum fuerit, judex computet mercedes medicis præstitas, cæteraq; impendia quæ in curatione facta sint, præterea operarum quibus caruit aut carituras est, ob id quod inutilis factus est] Paria habes apud Maimoniden ad Baba Kamma VIII. cap. I.

DE NOXALIBVS ACTIONIBVS.

Exemplum vetus habemus apud Aurelium

Victorem de Caco Euandri servo, qui Recorano, Herculi dicto, noxæ sit deditus. Etiam Ionam velut noxæ deditum ait Chrysostomus de jejunio. Festus: *Cùm lex jubet noxæ dedere, pro peccato dedi jubet.* ubi & Accii locum & Cæcilii adfert, in quibus noxa pro delicto ponitur. Sic & Virgilius:

unius ob noxam

ubi tamen Servius: *Hoc interest inter noxam & noxiam, quod noxia culpa est, id est peccatum: noxa autem pœna. Quidam; noxa qui nocuit; noxia, id quod nocitum: accipiunt.*

L. Sed & ipse.

Sed & ipse servus manumissus tenetur]Idem apud Hebræos. Baba Kamma VIII. 4.

FINIVM REGVNDORVM.

L. Sed &.

Et ea communibus parietibus plerumque disterminantur] Quos muros vocat Symmachus VI. 9. & 11. Lex est Caroli Magni, ut si quis pendente finali judicio, fines alterius invaserit, tantum spatii restituat, quantum præsumserit invadere. VII. 245.

L. Sciendum.

Ἐὰν δὲ τάφον] Τάφρον lege, ut apud Plutarchum Solone hæc lex legitur.

Ελαίαν ἢ σῦκα συκῆν πόδας ἀπὸ τῦ ἀλλοτρίυ φυτεῦσαι] Nempe quia hæc aliis rebus satis non sine noxa proximant, sed alimenta subducunt, imo & effluvio suo nonnulla lædunt. Has causas legis hujus reddit Plutarchus.

FAMILIÆ ERCISCVNDÆ.

Ita ubique scriptum habemus in his libris, nullo codicum dissensu. Apud Ciceronem quoque de

752607

que de Oratore : *Quibus verbis erciſci oporteat:* pro Cæcina : *arbitrium familiæ erciſcundæ.* nec aliter apud Paulum ſententiarum I. I. 8. & apud Philoxenum in Gloſſario. Eſt autem contracta locutio erciſci, pro erci, ciſci; erciſcundæ pro ercundæ, ciſcundæ: ſicut apud Lucilium, Nol & debueris: pro nolueris & debueris ; nam id verſus exigit. & in inſcriptione tragœdiæ, Proteſilaodamia, pro Proteſilaolaodamia. Ercere, ciſcere, ſicut erctum, citum apud Feſtũ, qui rectè addit. *Erctum à coërcendo dictum: citum autem vocatum eſt à ciendo.* nam ercere eſt à Græco, εἴργω. unde εἱρκτὴ, & ἕρκος. Sed Æoles omittunt aſpirationem, & dicunt εἴργω, εἱρκτὴ, ἕρκος. hinc erca & erctus poſtea mutata vocali prima arca & arctus. Cio à Græco χίω, ut notat Salmaſius ὁ πάνυ, aut à κίω. unde κινέω. nam & qui movet, dividit. in hoc judicium duo veniunt: prius eſt, ut quiſque, quod de hereditate habet, aut lucri fecit, in commune contribuat: deinde ut quod ſic coactum collectumque eſt, dividatur. ubi prius factum eſt, non poſterius, dicitur erctum non citum, apud Servium ; quale eſt patrimonium quod fratres communiter poſſident: ubi utrumque, erctum, citum apud Feſtum. credo autem in antiqua formula fuiſſe familiæ pecuniæque ; ut eſt apud Gellium : ſed poſterius illud per breviloquentiam ſubticeri, atque ſubintelligi, ut ſæpe in Edictorum rubricis.

COMMVNI DIVIDVNDO.

Conſuli Iuriſconſulti ſolebant quemadmodum quis cum ſocio navem divideret. Caſcellius vocem juris in alium ſenſum detroquens : *Navem ſi dividis, nec tu, nec ſocius habebitis:* & ille quidem joco. cæterum ejuſdem vocis ambiguo Antiochum decepêre Romani, fectis navibus, quas dividi convenerat.

AD EXHIBENDVM.

Plinius v. Epist. 11. *Libera tandem hendecasyllaborum meorum fidem, qui scripta tua communibus amicis spoponderunt. appellantur quotidie & flagitantur: ac jam periculum est ne cogantur ad exhibendum formulam accipere.*

DE INTERROGATIONIBVS in jure faciendis.

L. 1.

Quia nemo cogitur ante judicium de suo jure aliquid respondere] Donatus ad Adelphos: *Respondere propriè dicitur cum lis intenditur.*

L. De atate.

Qui tacuit quoque apud Prætorem, in ea causa est, ut instituta actione in solidum conveniatur] Terentius Phormione:

An quisquam judex est qui possit noscere
Tua justa, ubi tute verbum non respondeas?

Scholiastes Horatii: *Debitor Proteus sit, aper id est ferox, avis id est fugax, saxum id est tacens.*

Qui ad interrogatum non respondit, id est, πρὸς ἔπος Οὐδὲν πρὸς ἔπος, est apud Aristophanem Concionatricibus. & sic fecerat ille advocatus in quem lusus est Martialis de Græco desumtus:

Non de vi, neq; cæde, nec veneno,
Sed lis est mihi de tribus capellis:
Vicini queror has abesse furto:
Hoc judex sibi postulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum
Et perjuria Punici furoris
Et Sullas, Marioque, Muciosque
Magna voce sonas, manuque tota.
Dic jam Postume de tribus capellis.

752607

DE QVIBVS REBVS AD EVNDEM Iudicem eatur.

Ob continentiam causæ, cognitio causæ à procuratore Cæsaris, aut à præfecto prætorio transfertur. Zosimus IV.

DE ALEATORIBVS.

Aleæ convictos quadrupli damnari olim solitos notat ad divinationem Asconius.

L. Quòd in convivio.

Quòd in convivio vescendi causa ponitur in eam rem familiæ ludere permittitur] Apophoreta intelligit de quibus est libellus Martialis. Meminit & Suetonius Domitiano.

SI MENSOR FALSVM MODVM dixerit.

Magna fuit mensorum auctoritas: *Ostendit quod dicit: probat quod deduxit: gressibus suis concertantium jura discernit. de more vastissimi fluminis, aliis spatia tollit, aliis rura concedit*, ait Cassiodorus III. 52. ubi & plura ad hanc rem. quid pertica, quid cardo, quid decumanus, vide scriptores agrimensuræ & Servium.

DE RELIGIOSIS ET SVMTIBVS funerum, & ut funus ducere liceat.

De sepulchrorum jure, multa ex Pontificum libris habet Cicero de Legibus III. M. Antoninus Philosophus intra urbes sepeliri quenquam vetuit: prudenter: nec assentior Iulio Capitolino, qui eam legem asperitatis accusat.

L. Et si quis.

Igitur æstimandum erit arbitrio & perpendendum quo animo sumtus factus sit. utrum negotium quis vel defuncti

defuncti vel heredis gerit, vel ipsius humanitatis] Legendum esse *hereditatis* optimè vidit Heraldus. Hereditatis negotium gerit, qui heredem non novit, attamen ei vult imputare quod facit. Humanitas ad oppositum membrum pertinet: nec aliud est quàm misericordia.

An verò misericordiæ vel pietati tribuens] Sic Seneca de Beneficiis v. 20. *Patrem alicujus in solitudine exanimem inveni. corpus ejus sepelivi, nec illi profui (quid enim illius intererat quo genere dilaberetur?) nec filio. quid enim per hoc commodi accessit illi? dicam quid consecutus sit. officio solenni & necessario per me functus est. præstiti patri ejus, quod ipse præstare voluisset, necnon & debuisset. hoc tamen ita beneficium est, si non misericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem: sed si corpus agnovi, si filio tunc hoc præstare me cognovi. at si terram ignoto mortuo injeci, nullum habeo hujus officii debitorem.* Cato maximo sumptu facto in funus fratris, à filio ejus nihil repetiit. Plutarchus Catone Vticensi.

L. Cùm in diversis.

Cùm autem impetratur, ut reliquiæ transferantur] Quod Romæ fieri solitum consulto Pontificum collegio. vide suprà, de Rerum divisione.

DE REBVS CREDITIS SI CERTUM PETETUR, & de condictione.

Crediti generale quidem est nomen, sed sicut de mutuo accepit originem, ita & de eo per excellentiam dicitur. Cassiodorus: *Gratia Dei hominibus data est in creditum, & in mutuum transit.* Apud Cnossios moris erat, ut qui mutuam vellet pecuniam, eam raperet. quod factum existimat Plutarchus, ut, ni redderet, tanquam raptor puniretur.

752607

L. 1.

Quia in genere suo functionem recipiunt] Sic Vlpianus VI. 8. *Dos quæ semel functa est amplius fungi non potest, nisi aliud matrimonium sit.* Paulus in L. pretia D. ad Legem Falcidiam. *Pretia rerum non ex effectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur.* idem hoc titulo L. certum est. *Certum est, cujus species vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut ex demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit, ostenditur.* Cicero in Verrina V. *Quis non maximo se affectum beneficio putavit, cùm tribus decumis pro una defungeretur?* in Glossario: *funguntur, διατελοῦσιν, σωτελοῦσιν.*

DE IVRE IVRANDO SIVE VOLVNtario, sive necessario, sive judiciali.

Iusiurandum, duæ sunt voces quæ in unam coaluêre. Poëtæ dividunt, ut Ovidius Cydippes Epistola:

Quid tibi nunc prodest jurandi formula juris?

Iusiurandum sic exigi solebat: *Ex animi tui sententia tu hoc feciſti, aut facies?* Cicero Academicis quæstionibus, & III. Officiorum & II. de Oratore. Livius XLII. Quintilianus VI. 2. VIII. 5. Gellius IV. 20. Petronius. Deinde solebant verba concipi secundùm quæ juraretur. Scholiastes Horatii ad illud: *In verba jurabas mea, secundùm ea verba quæ proponebam. Hoc autem jusiurandum conceptis verbis dicitur, cum alter alteri verba dicit quæ sequatur.* Habes ejus rei mentionem apud Plautum Cistellaria, Act. II. Scena I. Livium XLIII. Gellium II. 24. VII. II. Hæc dictata sacramenta Silio: Ovidio jurandi formula juris. Quia verò multi abuti solebant jurejurando, ita ut Laberius jusiurandum dixerit emplastrum æris alieni; ideo Plato noluit cuiquam in re sua deferri jus-

ri jusiurandum. Locus est egregius XII. de legibus. Prætor autem Romanus neque sacerdotem Vestalem, neque Flaminem Dialem jurare cogebat. Gellius X. 15. De jurisjurandi definitione, effectibus & interpretatione, vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis, cap. XI §. 1. Optima formula jurisjurandi apud Apostolum, Gal. I. 20. ἰδοὺ ἐνώπιον τοῦ θεοῦ ὅτι οὐ ψεύδομαι, *En coram Deo quod non mentior.*

L. Vel.

Vel filiorum tuorum] Iurari per liberos & Athenis solebat, ut Demosthenes contra Cononem nos docet, ut & apud Romanos, teste Seneca de beneficiis III. 72. & Plinio in Panegyrico: *Explanavitque verba*, ait, *quibus caput suum, domum suam, si sciens fefellisset, deorum iræ consecrabat.* Vide & quæ jam sequentur.

L. Eum qui.

Si non per collusionem actum sit] ἀσυνθέτως, in Basilicis.

L. Qui per salutem.

Qui per salutem suam jurat, licet per Deum jurare videtur; respectu enim divini numinis jurat.] Augustinus: *Quid est jurare, nisi jus reddere Deo, quando per Deum juras? jus filiis tuis reddere, quando per filios tuos juras. Quod autem jus debemus saluti nostræ, filiis nostris, Deo nostro, nisi caritatis, veritatis, & non falsitatis? Cùm dicit quisque per meam salutem, salutem suam Deo obligat: quando dicit per filios meos, oppignorat Deo filios suos, ut hoc veniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius. Si verum, verum: si falsum, falsum. Cùm ergo filios suos, vel caput suum, vel salutem suam, quisque in juratione nominat, quicquid nominat, obligat Deo.*

DE

752607

DE CONDITIONE CAVSA DATA, causa non secuta.

Quintilianus pater declamatione cccxxxvi. *Quæcunque sub conditione traduntur, ita demum fieri possunt propria ac peculiaria, si conditio consummata est.*

DE CONDICTIONE OB TVRPEM vel injustam causam.

L. Idem.

Turpiter facere quod sit meretrix] Satis pœnæ adversus impudicas in ipsa professione flagitii. Tacit. Annal. 11.

Non turpiter accipere cum sit meretrix.] sic apud Plautum Asinaria, cum dixisset adolescens,

Dedi equidem quod mecum egisti.

Respondet lena:

Et tibi ego misi mulierem:
Par pari datum hostimentum est opera pro pecunia.

Regerenti vero adolescenti,

Malè agis mecum.

Illa: *Quid me accusas si facio officium meum?*

DE CONDICTIONE INDEBITI.

L. Repetitio.

Repetitio nulla est ab eo qui suum accipit, tametsi ab alio quàm vero debitore solutum est] Nempe si solutio facta sit debentis nomine, suprà L. si pœnæ, L. cum quis, D. de solutionibus.

DE CONDICTIONE TRITICIARIA:

L. In hac actione.

Ἐν πλάτει] ἐκ εἰν ςίσμῃ, ut loquitur Aristoteles: qui pro eodem etiam dicit, ἐν πλάτει, ut hîc. & L. si arbiter, D. de probationibus, L. Ratum autem D. de solutionibus, L. quo enim,

§. Iulia-

§. Iulianus, D. de solutionibus ubi id explicatur cum quodam spatio temporis, nec minimo, nec maximo, & quod magis intellectu percipi quàm elocutione exprimi potest. idem aliter dicitur, παρατατικῶς, L. 1. D. unde legitimi, L. 2. D. quibus ex causis in possessionem.

COMMODATI.

L. Sape.

Vt dicis gratia numerationis loco intercedant] Hunc ipsum locum in animo habuit Glossarum scriptor cùm annotat: *Dicis gratia*, νόμου χάριν ὡς παρὰ Γαΐῳ τῷ νομικῷ. Pro eo δείγματος ἕνεκα, dixit Dion Vespasiano. Dicis causa, dicis immo, habes apud Varronem de lingua Latina libro v.

DE LEGE RHODIA.

Civitas Rhodiensis navigandi solertia celebrata est. Gellius VII. 3. De ejus portubus, viis, muris, copiis navalibus, legibus, videndus est Strabo libro XIV.

L. Αξίωσις.

Intra exiguum temporis spatium hanc legem emendare & illustrare aggressi sunt viri celebres, Iohannes Seldenus, Dionysius Gothofredus, Samuel Petitus, Claudius Salmasius. Ponam lectionem quæ mihi pridem visa est optima: Αξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Αντωνῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Αντωνῖνε, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ικαρίᾳ διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσιωνῶν τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Αντωνῖνος εἶπεν Εὐδαίμονι. ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης. τῷ νόμῳ τῶν Ροδίων κεχρέσθω τῶν ναυτικῶν, ἐν οἷς μήπως τῶν ἡμετέρων αὐτῶν νόμος ἐναντίον τι. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν. *Libellus supplex Eudamonis Nicomediensis*

ad

752607

ad Imperatorem Antoninum. Domine Imperator Antonine, naufragium paſsi in mari Icario, direpti ſumus à publicanis, qui Cycladas inſulas habitant. Antoninus reſpondit Eudamoni: Ego quidem mundi Dominus: lex verò maris. Lege igitur Rhodiorum navali res dijudicetur, quatenus noſtrarum legum nulla ei contraria eſt. Hoc verò ipſum & Divus Auguſtus decrevit. Ἐν τῷ Ἰκαρίῳ ſubaudi θαλάσσῃ. In Icario mari ſunt Cyclades: Strabo libro 11. Solebant publicani, bona, quorum non apparebat dominus, in cuſtodiam ſuam ſumere, & pro ea cuſtodia partem ſibi aliquam vindicare. Ea pars quæ eſſet, definitum erat lege Rhodia navali, quæ pro jure gentium in illo mari vigebat: ſicut apud Galliam, leges Oleronis: apud omnes tranſrhenanos populos leges VVisbuienſes. Dicit igitur Antoninus, ſe quidem mundi eſſe dominum, mundi nomine accepto pro terra tanquam parte mundi nobis notiſſima: id eſt, de rebus quæ in terra geruntur, ſæpe ſe leges & figere & refigere. At res maris habere, ex conſenſu populorum, *jus ſuum* Rhodiis deſcriptum legibus, quod mutare, non eſſe ſui moris. Sed neque Auguſto id placuiſſe. Quare ſequendum id jus, niſi aliquid eſſet ſpecialiter Romanis legibus definitum. Romanis mos eſt partem terrarum, quam ipſi tenent, vocare mundum. id irridet Pomponius Lætus in Gallo.

DE INSTITORIA ACTIONE.

L. Sed ſi.

De quo palam proſcriptum fuerit, ne cum eo contrahatur, is præpoſiti loco non habetur] Auguſtinus Epiſtola CCXI. amicum rogat ne à pauperibus iterum exigat, quod actori ejus ſolutum fuerat, ſine mandato ſpeciali, cùm tamen ei ſervire juſſi eſſent. Actor interverterat.

DE

DE SENATVSCONSVLTO Macedoniano.

L. I.

Ne cui, qui filiofamilias mutuam pecuniam dediſſet, etiam poſt mortem parentis ejus, cujus in poteſtate fuiſſet, actio petitioque daretur] Apud Terentium Phormione I. 5.

GE. *Non ratio, verum argentum deerat.*

DE. *Sumeret*

Alicunde. GE. *Alicunde. nihil eſt dicto facilius.*

DE. *Poſtremo, ſi nullo alio pacto, fenore.*

GE. *Hui, dixti pulcre, ſi quidem quiſquam crederet*

Te vivo.

Eugraphius ad eum locum. *Solutio eſt tamen, quod negavit licere filiofamilias mutuam pecuniam credi.* Scholiaſtes ad Horatium I. ſat. II. *Nomina ſectatur. Objectionis tacitæ ſolutio. ne quis fortaſſe putaret non inveniri, qui pro fenore quintas centeſimas dare vellent, oſtendit quibus hoc fiat, inquiens, ſectatur nomina tironũ, qui nuper exuta prætexta ſumſerunt virilem togã, ardentioreſq; ſunt ad explendam libidinẽ, qui cùm nihil accipiant à duris, id eſt nimis parcis patribus, coguntur adire feneratores, qui etiam ſunt tam præcipiti avaritiâ, ut non dubitent filiisfamilias pecunias credere, dummodo graviores uſuras imponant, quod libenter adoleſcentes faciunt, ut pecuniam accipiant ſub patribus. non licebat per ſenatuſconſulta tironibus fenerari, ne bona paterna prodigerent.* Scholiaſtes ad illud Iuvenalis. *Ergo haud difficile eſt perituram arceſſere ſummam. Non dubitant mutuò accipere, quod perdant magis quàm erogent.*

DE PECVLIO.

Quibus ſervis peculium dominus concedebat, iis &

752607

iis & demensum dabat, & ab iis exigebat impensi rationem. Scholiastes Horatii ad II. Sat. II. Donatus ad Sc. I. in Phormione. In peculio erant & vicarii, quorum præter jurisconsultos meminêre Horatius II, & Martialis.

DE COMPENSATIONIBVS.

L. *Si ambo.*

Quoties ex maleficio oritur actio, ut putà ex causa furtiva, ceterorumque maleficiorum, si de ea pecuniariè agitur, compensatio locum habet. idem est & si condicatur ex causa furtiva] Nisi opponatur compensatio ab eo, qui depositum accepit: quod à se constitutum dicit Iustinianus L. Compensationes, C. de Compensationibus. sed congruit id juri veteri. in sententiis Pauli II. Tit. XI. *In causa depositi, compensationi locus non est, sed res ipsa reddenda est.* Seneca de beneficiis VI. 5. *Si quis apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit, & ego cum illo furti agam, & ille mecum depositi.* antè dixit in foro separari actiones, non confundi formulas. deinde hoc adjicit exemplum.

TIT. DEPOSITI.

Quærit Aristoteles problematum XXIX. tit. XVI. 2. cur depositio aliquem fraudare turpius sit, quàm mutuo: adfertque causas multas, quia amico fit injuria, quia ad damnum perfidia accedit, quia pro amicitia inimicitia redditur, quia nihil utilitatis sperat qui deponit, quia infelices esse solent qui sua deponunt. Addit & aliam rationem Quintilianus Pater Controversia CCXLV. *Depositum hoc magis vindicandum, quod fere secreta sunt, citra probationem.*

L. *Ei*

L. Ei apud quem.

Si tamen cum sequestre convenit, ut certo loco rem depositã exhiberet, nec ibi exhibeat teneri eum palam est | Baba Kamma x. 6 & ibi interpretes. vide & infrà L. si in Asia, §. 1. Quintilianus dicta jam declamatione: *Non est in depositio simplex conditio. deponitur aliquid, quod quandocunque repetitur, reddendum est. deponitur aliquid in tempus.*

L. Bona fide.

Sed eam utrum æstimamus ad merum jus gentium] Sic jus gentium merum exigere videtur ut depositus gladius reddatur domino. At Cicero de officiis tertio: *Si gladium quis apud te sana mente deposuerit, repetat insaniens; reddere, peccatum sit: non reddere; officium. Quid si is qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat patriæ, reddasne depositum? non credo, facies enim contra rempublicam, quæ debet esse carissima. sic multa, quæ honesta naturâ videntur esse, temporibus fiunt non honesta.* Seneca de Beneficiis IV. 10. *Depositum reddere per se res expetenda est, non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. aliquando nihil interest, utrum inficier, an palam reddam. intuebor utilitatem ejus, cui redditurus sum, & nociturum illi depositum negabo.*

Quo facto scelestissimo adempta sunt] Legimus *quoi*, libro II. de jure Belli ac Pacis, cap. X. §. 1.

MANDATI I.

L. Mandatum.

Mandatum inter nos contrahitur, sive mea tantum gratia tibi mandem, sive aliena tantum, sive mea & aliena: sive mea & tua: sive tua & aliena] Similis distributio Senecæ circa beneficia VI. 12. *Multum interest utrum aliquis beneficium nobis det suâ causâ*

752607

causâ an nostrâ, an suâ & nostrâ. Mox hoc argumentum tractans, primum illud genus negotiationem esse vult, non beneficium. De secundo nulla est dubitatio. Tertium ad beneficii nomen admittit, non exigens ut sine respectu sui mihi alter consulat.

Cujus generis mandatum magis consilium est quàm mandatum, & ob id non est obligatorium] Sensum eundem habet Chrysostomus ad II. Cor. VIII. 7. idem alibi: ὁ συμβουλεύων λέγει τὰ δοκοῦντα ἑαυτῷ ἀναγκάζων ἀκριβῶς ἀλλ' αὐτὸν ἀφίησι τῆς γνώμης αἱρέσεως κύριον. *Qui consilium dat, dicit quod sibi videtur, nec ullam imponit audienti necessitatem, sed ipsi relinquit eligendi jus liberum.* Hieronymus: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est: ubi præceptum, necessitas est servientis.*

L. Si quis.

Qui mandatum suscepit, si potest id explere, deserere promissum officium non debet] Ovidius Tristium v. 6.

Sarcina sum: fateor: quam si non tempore nostro
Depositurus eras, non subeunda fuit.

Adde Ciceronem pro Roscio.

PRO SOCIO.

Marius Victorinus socium esse ait, qui nobis aliquo pacto ad aliquid nobiscum gerendum conjungitur. sunt & inter muta animantia exempla societatis, ut piscatoria delphini cum homine. Plin. IX. 8. Pinnæ & pinnotheræ IX. 42. Dati damni formulam inter socios dari docet nos illustri exemplo idem Plinius de Anthia IX. 89.

L. Si Titius.

Quia meæ duntaxat partis pretia percepissem] Cicero pro Q. Roscio Comœdo: *Ergo huc universa causa deducitur, utrum Roscius cum Flavio de suâ*

parte, an de tota societate fecerit pactionem. Nam ego Roscium, si quid communi nomine tetigit, confiteor præstare debere societati. Societatis non suas lites redemit, cùm fundum à Flavio accepit.

L. Cùm societas.

Convenerit ut unus reliquis nundinas, id est epulas] Conjicere liceat scriptum fuisse IIII. *dianas epulas*, id est quatriduanas.

DE CONTRAHENDA EMTIONE.

De variis diversorum populorum legibus circa emtionem, ejusque perfectionem, & accessiones, præconia, relationem in acta, arras, traditionem, pœnam, atque alia, disces ex Theophrasti loco de legibus in Stobæi Titulo de legibus. locus est dignus qui legatur à legum conditoribus.

L. I.

Origo emendi vendendique à permutationibus capit] Egregie hoc explicat Aristoteles Nicomacheorum. Vide & quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis XII. 3. & in Annotatis. Sabinus Homero teste utitur. Plinius XXXIII. *Quantum faliciore ævo, cùm res ipsæ permutabantur inter se, sicut & Trojanis temporibus facilitatum Homero credi convenit.* Electa materia est, cujus publica aut perpetua æstimatio difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis, subveniret. Aristoteles dicto capite: τὸ δὲ νόμισμα ὥσπερ μέσον (ita habent manuscripti optimi) σύμμετρα ποιῆσαι ἰσάζει. *Nummus ut medius aliquis res commensu facto æquat.* Lex ne emtori liceret refigere à foribus hostium spolia, est apud Plinium libro XXXV.

L. Nec emtio.

Veluti cum quasi alea emitur, quod fit cùm captus piscium,

752607

piscium, vel avium, vel missilium emitur] De captura à piscatoribus emta historiam habes apud Plutarchum Solone, & Laërtium Thalete, ubi quæstio tractatur, an aurum sub ea generalitate veniat. Trachalio apud Plautum:

Sed tu an unquam piscatorem vidisti; venefice,
Vidulum piscem cepisse?

Cui lepidè respondet Gripus:

Quid tu? nunquam audivisti esse antehac vidulum piscem? TR. *Scelus!*
Nullus est. GR. *Imo est profecto: ego, qui sum piscator scio:*
Vero raro capitur.

L. In venditionibus.

Sive in quo alio] Cicero Agraria ad populum priore. *Quid ergo? longum putavit, & timuit ne quid præteriret. At scripsit: aliudve quid. qua brevitate rem nullam esse exceptam videtis.*

DE IN DIEM ADDICTIONE.

Dromo apud Terentium Phormione Sc. II. 2.

Ego satis si commemini, tibi quidem est olim dies
Quam ad dares huic, præstituta.

Postea: Act. III. Sc. 2.

Cras mane argentum mihi
Miles dare se dixit: si mihi prior tu attuleris, Phædria,
Mea lege utarut potior sit, qui prior ad dandum est. Vale.

L.

Res in aversione emta] Nam & avertere est emere, teste Scholiaste ad illud Horatii II. Sat. 4.

Cara pisces avertere mensa.

Vbi mensa intelligenda piscatoria.

DE LEGE COMMISSORIA.

Lex, conditio contractus; Scholiastes Horatii explicans illud libro II. Epist. 2. *dicta tibi est lex.*

DE SERVIS EXPORTANDIS VEL si ita mancipium venierit, ut manu mittatur, vel contrà.

L. I.

Si fuerit distractus servus, ne aliquo loci moretur. Simile est quod Plinius Historiæ naturalis libro XXXVI. commemorat, signum ea lege venditum esse ne Athenis esset.

DE ACTIONIBVS EMPTI ET VENditi.

L. I.

Venditor si cùm sciret deberi servitutem, celavit, non evadet ex empto actionem] Quod de servitute hîc dicitur, idem in vitiis omnibus, & incommodis locum habet. Cicero de officiis tertio. *Ac de jure quidem prædiorum sancitum est apud nos jure civili, ut in Eis vendendis vitia dicerentur, quæ notæ essent venditori. nam cum ex XII. tabulis satis esset ea præstari, quæ essent linguâ nuncupata, quæ qui infitiatus esset, dupli pœnam subiret, à jurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta. Quicquid enim esset in prædio vitii, id censuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, præstari oportere: ut cùm in arce augurium augures acturi essent, jussissentque Titum Claudium Centimalum, qui ædes in Cælio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auspiciis: Claudius proscripsit insulam, vendidit: emit P. Calpurnius Lanarius: huic ab auguribus illud idem denuntiatum est. Itaque Calpurnius, cùm demolitus esset, cognossetque Claudium ædes postea proscripsisse quam esset ab auguribus demoliri jussus, arbitrum il-*

lum

752607

lum adegit, quicquid sibi dare, facere oporteret ex fide bona. M. Cato sententiam dixit, hujus nostri Catonis pater. uti enim cæteri ex patribus, sic hic, qui lumen illud progenuit, ex filio est nominandus. is igitur judex ita pronuntiavit, cùm in venundando rem eam sciisset, & non pronuntiasset, emtori damnum præstari oportere. igitur ad fidem bonam statuit pertinere, notum esse emtori vitium, quod nosset venditor. Vide Caroli Magni, cap. 210. & quæ infrà ad Ædilitium Edictum.

Hæc ita vera sunt, si emtor ignoravit servitutes: quia non videtur esse celatus qui scivit, neque certiorari debuit, qui non ignoravit] Cicero dicto libro. *M. Marius Gratidianus, propinquus noster, C. Sergio Oratæ vendiderat ædes eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Hæ Sergio serviebant. sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Adducta res in judicium est. Oratam Crassus:* Gratidianum *defendebat Antonius. jus Crassus urgebat: quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere præstari: æquitatem Antonius: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas ædes vendidisset, nihil fuisse necesse dici: nec eum esse deceptum, qui id, quod emerat, quo jure esset, teneret.* Horatius II. Epist. II.

Des nummos, excepta nihil te, si fuga lædat.
Ille ferat pretium pœnæ securus opinor:
Prudens emisti vitiosum: dicta tibi est lex,

Vbi pœna vocatur id quod interest.

L. Si servum.

Si servum mihi ignoranti, sciens furem vel noxium esse, vendideris, quamvis duplam promiseris, teneris mihi ex empto, quanti mea interierit sciisse] Sic & in lege Caroli Magni CCXXXIX. *Servus bona fide comparatus, si ex veteri vitio fugerit, non tantum pretium dominus, sed & ea quæ per fugam abstulit, reddere cogetur.*

LOCATI CONDVCTI.

L. Locatio & conductio.

Quòd si ego aurum dedero, mercede pro opera constituta, dubium non est quin locatio & conductio sit] Sic & colores quidam pictori à dominis dabantur. Plinius libro XXXV.

L. Si in Lege.

Vis major quam Græci θεῖ βίαν appellant, non debet conductori damnosa esse, si plus quàm tolerabile est, læsi fuerint fructus] *Vis major inopinata cladis fatale generat incommodum*, est in Novellis Theodosii XLVII. Deserentem vis major excusat, ait Seneca de beneficiis IV. 39. quod ex Salustio sumtum. Plinius XVIII. 28. *Ante omnia duo genera cœlestis injuriæ meminisse debemus: unum, quod tempestates vocamus, in quibus grandines, procellæ cæteraque similia intelliguntur: quæ quum acciderint, vis major appellatur.* Columella I. 7. *Nam ubi sedulo colitur ager plerumque compendium: nunquam, nisi si cæli major vis, aut prædonis incessit, detrimentum adfert.* Sic & periculum vis majoris cum effractura latronum conjunxit Antoninus in l. 1. C. Locati. Quod hîc Græcè dicitur, θεῖ βία, id Latinè vim divinam dixit Vlpianus, L. fluminum. §. servus, D. damni infecti. tempestatem calamitosam suprà, L. ex conducto, §. si vis hoc titulo. majoris impetus infortunium atque dispendium in Codice Theodosiano.

Partiarius colonus] Quem & partiarium simpliciter & partiarium redemtorem dixit Cato de re rustica, cap. 16. 136. 144. Sic pecora partiaria. L. si pascenda, C. de pactis. Plinius IX. Epist. 37. *Si non nummo, sed partibus locem.* Tales erant Athenis qui dicebantur ἑκτημόριοι, sextarii, teste Plutarcho in Solone.

Qui

752607

Qui columnam transportandam condaxit, si ea dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta sit, ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumve, quorum operâ uteretur, culpâ acciderit] Confer Baba Kamma IX. 3.

L. Qui insulam.

Quia ædificium vitia facere diceret] Fortè quod erecturæ parietum calce persusæ vitium occultassent, cujus rei meminit Scholiastes Iuvenalis ad illud Sat. III.

Nam sic labentibus obstat
Villicus, & veteris rimæ contexit hiatum:
Securos pendente jubet dormire ruinâ.

L. In navem.

Cùm vestimenta fulloni curanda locarentur] Legis Metellæ, quæ fullonibus dicta meminit Plinius historiæ Naturalis XXXV.

Actores oneris aversi] Tertullianus V. adversus Marcionem. *Quamobrem, Pontice nauclere, si nunquam furtivas merces, vel illicitas in acatos tuas recepisti, si nullum omnino onus avertisti, vel adulterasti.*

L. Ea lege.

Poterit igitur ex locato cum eo agi, qui vitiosum opus fecerit] Baba Kamma IX. 3.

DE RERVM PERMVTATIONE.

Vertere, rem re mutare. Scholiastes Horatii.

DE PRÆSCRIPTIS VERBIS ET IN factum actionibus.

L. Naturalis.

Aut do, ut facias] Qualis est contractus iste Argyrippi cum Cleæreta in Asinaria.

L. *Si rem tibi.*

Si quis sponsionis causa annulos acceperit] Plinius libro XXXIII. *Ad sponsiones etiammum annulo exsiliente.* Exemplũ sponsionis habes in Demosthenis oratione adversus Pantænetum. Est & nota sponsio Laïdis de Xenocrate. Sic Luctatius Pinthia spensionẽ fecerat, ni bonus vir esset, cujus meminit Cicero officiorum III. Habes & alias sponsiones apud eundem Ciceronem V. in Verrem, & septima. Pro Cæcina in Pisonem. Lib. VII. Epistola 21. Gellium XIV. 2. Asconium in Verrinam tertiam.

De Pignoribvs et Hypothecis.

L. Res hypothecæ.

Inter pignus autem & hypothecam tantum nominis sonus differt] Nam & oppignorari ager dicitur, quanquam à pugno orta pignoris vox, & ὑποθήκη gemma. Frequentior tamen usus recepit, ut in re mobili pignus diceretur, immobili hypotheca, quomodo & Græcè ὑποθήκας & ἐνέχυρα, distinguit Iohannes Chrysostomus II. de pœnitentia. Legem commissoriam in pignoribus primus prohibuit Constantinus ea lege quæ unica est Cod. Theod. de commissoria rescindenda, ultima verò Codice Iustinianeo de pactis pignorum. olim valebat: Cicero libro XIII. Epistola 56. *Philotes Alabandensis ὑποθήκας Cluvio dedit: hæ commissæ sunt.* Valetque etiam nunc in terris ubi leges Romanæ receptæ non sunt, ut in Diana. docet id Crantzius Saxonicorum X. Est & historia eo pertinens in Excerptis legationum Prisci, ubi de Attila.

752607

IN QVIBVS CAVSIS PIGNVS VEL hypotheca tacitè contrahitur.

Lege Abydenorum, qui agricolæ ad opus rusticum pecuniam dediſſent mutuam, jus taciti pignoris habebant in agrorum fructibus.

QVIBVS MODIS PIGNVS VEL hypotheca ſolvitur.

L. Si conſenſit.

Sed utriuſque pars pro indiviſo, pro parte dimidia manebit obligata] Idem ſupponit lex Creditor, §. poſt diviſionem, ſup. Qui potiores.

DE ÆDILITIO EDICTO.

Hæc ſunt jura quæ ſecum facientia ait Horatius II. Epiſt. II.

L. I.

Quam earum quæ mobiles] Vt gemmarum, de quarum fraudibus agit Plinius libro XXXV. ut & alibi de Seplaſiæ fraudibus.

Qui mancipia vendunt, certiores faciant emtores, quid morbi, vitiive cuiq; ſit] Scholiaſtes Horatii ad II. Sat. III. *Mentem niſi ligitioſus exciperet dominus. ſumptum eſt hoc argumentum à dominis mancipia vendentibus: quorum omnia vitia ſibi cognita, tam animi quàm corporis debebat aperire emtori, niſi poſtea litigare vellet propter celatum vitium.*

Qui fugitivus, erróve ſit] Solebat majoris cautionis ergo edici: *furem non eſſe, fugitivum non eſſe.* L. ſi ita quis, D. de evictionibus L. cùm in venditione, & L. Lucius, §. ult. L. evicta re, §. ult. L. ſi emtor, L. ſi ita quis, L. quia dicitur, D. ibidem. L. quoties, D. ſi familia furtum feciſſe dicatur. L. exemplo, .§ venditorem, D. de act. emti. Varro I. de re ruſtica. Seneca controverſiâ III. 21. Marculfus formulâ 132. 133.

Eademque omnia cùm ea mancipia venibunt, palàm rectè pronuntianto] In Edicto Ædilium Curulium quod recitat Gellius IV. 2. *Titulus servorum singulorum uti scriptus sit, curato, ita ut intelligi recte possit, quid morbi, vitiive cuique sit, quis fugitivus erróve sit, noxáve solutus non sit :* Sed servorum qui pileati vendebantur nomine nihil præstari solitum, docet nos idem Gellius VII. 4.

Apud Sabinum sic definitum esse] Nempe ex Labeone. Gellius ibidem.

Vitiumque à morbo multum differre, ut putà si quis balbutit] *Balbus & atypus vitiosi magis quàm morbosi sunt.* Gellius ibidem : contra quam sensit Vlpianus L. idem, §. ult. infra.

Si nihilominus permaneret in eo vitio, ut circa fana bacchari soleret] Horatius libro II. Sat. 3.

Quisquis luxuria, tristive superstitione,
Aut alio quovis morbo calet.

Postea:

Quone malo mentem percussa? timore deorum.

L. Sin autem.

Sin autem quis ita spado est, ut tam necessaria pars corporis ei penitus absit, morbosus est] Eunuchum, si ignorasset emtor, redhiberi posse, quasi morbosum Labeo dixit teste Gellio.

L. Idem.

De Myope quæsitum est, an sanus esset, & puto eum redhiberi posse] Olim de eo disputatum ex Gellio discimus. Masurio Sabino qui non longè videt, tam sanus est, quàm qui tardius currit.

L. Cui.

Magna enim pars hominum aliquo dente caret] Sumta verba de Labeone, ut idem nos Gellius docet.

L. Qua-

752607

L. Quaritur.

Distinguere Trebatium dicit, ut si natura sterilis sit, sana sit; si vitio corporis contrà] Nam cùm Labeo dixisset quasi minus sanam redhiberi non oportere, adscripsit Trebatius: si ea mulier à principio genitali in sterilitate esset. Vide Gellium.

L. Cùm ejusdem.

Vt si quis eorum fortè morbosus, vel vitiosus sit, vel omnes simul, redhibeantur] Id est, unus si in singulos pretium sit constitutum; omnes simul, si in universos.

L. Hi enim non sunt separandi.

Neque canem, verrem] Convenit cum Baba Kamma VII. 7.

L. Iustissimè.

Nam id genus hominum ad lucrum potius vel turpiter faciendum promtius est] Idem de venalitiariis ait scriptor ad Math. Hom. 30.

DE EVICTIONIBVS.

L. Si dupla.

Si dupla non promitteretur] Varro de re rustica libro II. *Si res mancipio non datur, dupla promitti solet, aut si ita pacti, simpla.* Mancipio dare, est dare in jure. est actus legitimus, L. actus legitimi, D. de R. I. Ab iis qui satis locupletes non essent, nemo mancipio accipere volebat. Plautus Curculione IV. 2. Sine mancipatione res aut vendebatur periculo emtoris: Plautus Persa IV. 7. aut cavebatur de evictione, quod est, ἀφάσεως ἐγγυητὴν εἶναι, apud Chrysostomum libro IV. de Sacerdotio. Itaque constituit Adrianus Imperator lenones & lanistæ ne servum venderent, nisi causa proposita,

L. Si alienam.

Et eandem pro derelicto habuere] יאוש BabaKamma x. 2.

DE VSVRIS.

Fœnus apud Scholiasten Horatii exponitur auctapecunia sic Hebræi dicunt תרבית & מרבית Fœnus à φύω, ut à πίκτω τόκος. Sic ab eodem φύω, fœtus. Nam sonus Græci υ ad Latinum œ prope accedebat. Solebant usuræ Idibus exigi, notante eodem Scholiaste: inde Iduarium. Non autem omne fœnus licitum. Scholiastes ad illud Horatii,

Multis occulto crescit res fœnore,

illicito inquit. vide Tacitum Annal. VI. Minimum fœnus trientarium sub Severo & Antonino. De usuris in speciebus vide Hieronymum ad Ezechielem, & Zonaram ad 5. canonem Concilii Carthaginensis.

DE NAVTICÆ FOENORE.

Mentio ejus apud Plutarchum Catone majore & Lucullo. Dabatur, aut ἐπ' ἀμφοτερόπλοα, aut ἐφ' ἑτερόπλοα. id est, ita ut periculum itus & reditus subiret fœnerator, aut alterius tantum.

DE PROBATIONIBVS.

L. I.

Ei incumbit probatio qui dicit, non qui negat] Idem habes in Baba Kamma III. II. apud Chrysostomum alterâ contra Iudæos: quod tamen Cato & Favorinus distingui volunt apud Gellium XIV. 2. Sed posteriori ætati visa est ea distinctio nimis laxum facere judicis arbitrium. Itaque illud Scipionis magis sequimur qui dicebat: οἶδα τὸν ὀμωμοκότα τὸν εἰδέναι. μηδενὸς ἢ κατηγορουντος, ἐξ ὑμωμοκὼς κατήγορος αὐτὸς εἶναι ἢ δικαστής. *Hunc hominem*

752607

hominem pejeraſſe ſcio ; ſed cùm nemo eum accuſet, non poſſum ego ſimul judicis & accuſatoris officium fungi.

DE TESTIBVS.

Hebræi judices de advena circumciſo pronuntiabant ſæpe ex conjecturis: de Hebræo nonniſi ex teſtium dictis. Solebant autem teſtes apud eoſdem Hebræos diligentiſſimè examinari à judicibus per ſeptem quæſtiones: qua hebdomade Iubilæi, quo anno, quo menſe, quoto die menſis, qua feria hebdomadis dierum, qua hora, quo loco. Ita Miſna in titulum de Synedrio, c. 1. Addit Rabbi Ioſe quæſtionem, an teſtes hominem noſſent de quo teſtimonium perhibebant. Lege Solonis, teſtes comparêre cogebantur, & perhibere teſtimonium, aut affirmare ſe abſentes fuiſſe, aut rei, de qua agebatur, nihil ſcire: in contumaces mille drachmarum ſtatuta pœna. Ita in Onomaſtico Pollux. Plato primo de legibus, eos qui veritatem cælant, vult improborum haberi numero. Apud Ægyptios quoque, ut libro primo docet Diodorus, qui præſentes fuiſſent cùm homicidium, aut furtum committeretur, ni reum indicarent, virgis cædebantur, & tridui fame coërcebantur.

L. In teſtimoniis.

Qui adverſus fidem ſuam teſtationis vacillant] οἱ πλανώμενοι τῷ λόγῳ, Herodianus libro 11. Donatus ad Eunuchi v. 4. *Ab inconſtantia teſtis præſidium defenſionis inquiſitum eſt.*

L. Teſtium.

Aliàs veluti conſentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem] Teſtimonium cæcum, in quo multitudinem aut civitatem dicimus ſcire, opponitur manifeſto. Habet hoc Donatus.

Alia teſtimoniorum quæ recitari ſolent] Exſcri-

pro testimonium Quintiliano v. 7. consensio significantium. Cicero Verrina v. *Recita testimonium Atheniensium.* Talibus testimoniis interdum opus, ubi à loco judicii longiùs absunt testes. Novella IX. §. 5. At in publicis judiciis ægrè jam olim recipiebatur. Scriptor de causis corruptæ eloquentiæ: *Testimonia in judiciis publicis non absentes nec per tabellam dare, sed coram & præsentes dicere cogebantur.* Carolus Magnus VI. 145. *Testes non absentes neq; per epistolam testimonium dicant, sed præsentes quam noverunt & viderunt, non taceant veritatem.*

L. Servi.

Servi responso tunc credendum est, cùm alia probatio ad veritatem non est] Exceptio ex regula.

Servum hominem causam orare leges non sinunt,
Neque Testimonii dictio est.

Terentius Phormione.

L. Testis.

Testis idoneus pater filio, aut filius patri non est] Contra patrem filii testimonium olim receptum videmus, ut Phylei contra Augiam pro Hercule. meminit Apollodorus libro II.

L. Nullus.

Nullus idoneus testis in re sua intelligitur] Testimonium pro se nec Catoni creditum. Hieronymus adversus errores Iohannis Hierosolymitani.

L. Ex eo.

Colligitur etiam mulieres testimonii in judicio dicendi, jus habere] Maximè ubi de partione quæritur. Notant id Grammatici & Rhetores ad illud in Andria.

Dis pol habeo gratias,
Cùm in pariundo aliquot adfuerunt liberæ.

L. Curent.

752607

L. Curent.

Testari volentibus] Testari hîc, est animi sui propositum coram testibus exponere. Talis illa testatio Alpheni coram viris bonis compluribus, quam multis verbis Cicero recitat pro P. Quintio. & illa cujus mentio in lege, Lucius Titius, D. de his qui notantur infamiâ.

L. Vlt.

Ne patroni in causa, cui patrocinium præstiterunt, testimonium dicant] Cato oratione in Lentulum apud Gellium v. 13. *Testimonium adversum clientem nemo dicit.* Idem habet Dionysius Halicarnassensis libro II.

Quòd & in executoribus negotiorum observandum est] Duabus Latinis vocibus expressit, quod Græci una voce πραγματικοὺς dicunt, qui non agunt causas, sed agentibus tela subministrant, ut loquitur Quintilianus XII. 3. qui ministros se præbent oratoribus, ut Cicero pro oratore. Sic quæstionem πραγματικὴν, negotialem vocat idem ille Quintilianus III. 8. Exsequi hîc est curare. Sic exsequi alicujus mandata, exsequi negotia, est apud Ciceronem.

DE IVRIS ET FACTI IGNORANTIA.

Iuris Ignorantia minus habet excusationis, quàm facti. Aristoteles de legum conditoribus III. Nicom. 7. ὃ τὰς ἀγνοουῦντας περὶ τοῖς νόμοις ἃ δεῖ ἐπίστασθαι καὶ μὴ χαλεπά ἐστι, κολάζουσι, *Et qui ignorant ea quæ sunt in legibus, quæ scire oportet, & quæ scitu ardua non sunt, puniunt.* Ius enim finitum est, ut infrà dicitur. L. in omni. A gravioribus tamen pœnis excusantur homines rudiores, si ea quæ non juris gentium, sed juris civilis sunt, ignorent. L. ult. D. de ritu nuptiarum. Adde quæ diximus III. de jure Belli ac Pacis XI. 4.

L. Iuris.

L. Iuris ignorantia.

Iuris ignorantia non prodeſt acquirere volentibus] Exempla vide. L. nunquam in uſucapionibus. L. fur. §. 1. D. de uſurp. & uſucap. L. 2. §. ſi à pupillo, D. pro emtore.

DE SPONSALIBVS.

Primùm ſperata dicebatur, deinde pacta, deinde interpoſitis ſtipulationibus ſponſa, ut Arnobius nos docet libro quarto. de quo ſtipulandi & ſpondendi more vide Gellium IV. 4. Servius verò: *Hic ordo eſt: conciliata primo, dein conventa, dein pacta, deinde ſponſa.* Pactas nuptias habes apud Symmachum VII. 120. & IX. 40. Spondere autem propriè dicitur puellæ pater, deſpondere adoleſcentis, ut Donatus ad Andriam nos docet ſed juriſconſulti hanc anxietatem non ſequuntur. Itaque deſpondere, & de patre puellæ, & de futuro marito uſurpant. Eſt autem ſpondere à σπένδειν, quia olim vino diis libato fieri ſolebat: unde & σπονδαὶ, fœdera. Exempla deſponſionis habes aqud Plautum Aulularia I. 4. Curculione v. 2. Oriebatur hinc actio ex ſponſo, & lis pecunia æſtimabatur, quanti interfuerat. eam uxorem accipi aut dari. Gellius libro IV. 4. Solebant autem ſponſalia à juriſconſultis concipi: Acontius apud Ovidium.

Te mihi compoſitis, ſi quid tamen egimus arte,
Adſtrinxit verbis ingenioſus amor.
Dictatis ab eo feci ſponſalia verbis,
Conſultoque fui juris amore vafer.

L. Sponſalia.

Conſenſu contrahentium fiunt] Itaque filius apud Terentium: *Nonne oportuit præſciſſe me ante? nonne prius communicatum oportuit?* Imo potiores eſſe puellæ quàm parentum partes voluit Ovidius ſub Acontii nomine.

Nam

752607

Nam quod habes & tu humani verba altera pacti,
Non erit iccirco par tua causa mea.
Hæc mihi te pepigit: pater hanc tibi, primus ab illa?
Sed propior certè quàm pater ipsa sibi est.
Promisit pater hanc: hæc & juravit amanti:
Ille homines, hæc est testificata deam.
Hic metuit mendax: hæc & perjura vocari.
Num dubitas hic sit major, an ille metus?

DE RITV NVPTIARVM.

Olim tribus modis Romanos coiisse matrimonia Boëtius nos docet: inter patritios confarreatione, qua de re mentio apud Tacitum IV. & apud Vlpianum titulo IX. apud alios coemtione, quæ & conventio in manum dicitur, de qua agit Servius ad illud Georgicôn:

Teque sibi generum Tethys amat omnibus undis.

Et Cicero I. de oratore: aut usucapione, de qua Gellius III. 2. mulieres enim, ut res mobiles anno usu capiebantur, si per trinoctium non abnoctassent, & eo tempore expleto habebantur pro uxoribus, non pro concubinis: Iure Iustinianeo mulier ostendere debet se pro uxore habitam. Nov. LXXIV. 5. Iure Græcoromano posteriore in dubio præsumitur esse uxor. Ex nuptiis nascitur rei uxoriæ actio, de qua Gellius IV. 3. Nuptiæ à nubendo, quia flammeo obnubebatur futura uxor. hinc & nubes & Neptunus.

L. Nuptiæ.

Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est qui coëunt, quorumque in potestate sunt.

Terentius Adelphis.

Qua ratione istuc? quis despondit? quis dedit?
Cui, quando nupsit? auctor his rebus quis est?

Alibi,

Domus reperta, liberi, invito patre.

Non posse ait Iurisconsultus, consistere tales nuptias:

ptias : possunt ergo patre volente dissolvi. Quod contrarium legimus in Pauli sententiis II. 19. non à Paulo est, sed ab Aniano. de filiabus locus est apud Homerum Odysseæ 13.

Οἱ πατρὸς μὲν ἐς οἶκον ἀφορμέεται νέεσθαι
Ἰκαρίου, ὥς κ' αὐτὸς ἐεδνώσηται θυγατρα,
Δόμῳ δ' ᾧ κ' ἐθέλοι ἐπὶ οἱ κεχαρισμένος ἔλθῃ.
Hi metuunt omnes genitoris adire penates
Icarii, bona qui donet dotalia natæ,
Et legat ex cunctis, quem præferat ipse maritum.

Odyss. Z.

Καὶ δ' ἄλλῃ νεμεσῶ ἥ τις τοιαῦτά γε ῥέζοι,
Ἥ τ' ἀέκητι φίλων πατρὸς καὶ μητρὸς ἑόντων
Ἀνδράσι μίσγηται πρίν γ' ἀμφάδιον γάμον ἐλθεῖν.
Quin ego eam totis animi penetralibus odi,
Quæ patris assensum citra, caræque parentis
Ante faces thalamumq; viro se junxerit ulli.

Donatus in Andria : *Summa potestas nuptiarum in patre puellæ est.* An verò principum leges efficere possint, ut injustæ sint nuptiæ, quæ justæ alioqui futuræ essent, tractant Thomas dist. XXXIV. art. 1. ad 4. & Petrus Soto de institutione sacerdotum: de matrimonio lect. IV. in fine. In jure Græcoromano multa sunt talium legum exempla.

Per adoptionem.

Donec manet adoptio] Etiam ea soluta id constituit Leo.

L. Semper.

Non solum quid liceat considerandum est, sed & quid honestum sit] Sisinnius Patriarcha : ἐν τοῖς γάμοις οὐ τὸ ὀπτὸν ἀμυδρὸν μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸ εὐπρεπὲς δεῖ σκοπεῖν. Servilem cognationem leges non agnoscunt. attamen eos qui per eum modum sanguine junguntur, inter se conjugium facere honestas non sinit. Neque hîc judici datur libertas: sed frænum ei imponitur, ait jus Græcoromanum.

L. Pa-

752607

L. Palam.

Palam autem sic accipimus, passim hoc est sine dilectu] Quod est πφοσμένως πωλεῖσθαι, in lege Attica. Cicero in oratione post reditum in senatu: *Palam ad omnium libidinem divulgatum.* Talis illa apud Stobæum:

Ὁμῶς δ' ἐς ἔργον ἀφροδίσιον
Ἑλθεῖν θ' ἑταίρην ἵν πιθὴν ἐδέξατο.
Nec delicate seligens adulteros,
Cuivis roganti comiter morem gerit.

Admittit volentes omnes, ut loquitur Clemens Stromateôn III. ideo lupanar locus communis Menandro & Senecæ in controversiis.

L. Senatusconsulto.

Ne tutor pupillam, vel filio suo, vel sibi nuptum collocet] Meminit talis Legis Cyrus: περὶ διαφορᾶς συσεων.

DE IVRE DOTIVM.

Apud Germanos, ut Tacitus narrat, maritus dotem dabat uxori, non accipiebat: quod & Solon Athenis sanxerat, nolens venalia esse matrimonia: At apud illos in ultimo Septentrione Germanos, venalia olim fuisse connubia ait Saxo Grammaticus, id est, datas uxores plus offerentibus.

L. Profectitia dos est.

Huic opponitur adventitia, quæ olim si nullum intervenisset divortium, fiebat mariti. Scholiastes ad Persium: *Dos à cive Romano data, non patrio dicta nomine, si repudium non intervenerit, post mortem uxoris ad maritum pertinet.*

L. Si de dote.

Si socer specie futuræ dotis induxerit genero]

Probo

Probo Heraldi emendationem ⌣ : *illuserit genero.*

DE DONATIONIBVS INTER virum & uxorem.

L. 1.

Ne mutuo amore invicem spoliarentur, donationibus non temperantes] Plutarchus in quæstionibus Romanis, complures reddit hujus legis causas, quod non liberæ, sed eblanditæ viderentur tales donationes: quod gratuitus amor esse debeat, non emptus: quod mulieres assuefieri non debeant ad dona capienda: quod stante matrimonio omnia inter virum & mulierem censeri debeant communia.

Donationibus non temperantes, sed profusa erga se facilitate] Illud *sed* hic abundat. Facilitatem hoc sensu usurpant Terentius, Cicero, Seneca.

L. Sed si vir.

Kalendis Martiis] Tibullus:

Martis Romani festa venêre Kalendæ:
Exoriens nostris hic fuit annus avis:
Et vaga nunc certa discurrent undiq; pompa,
Perq; vias urbis munera, perq; domos.

L. Quintus Mucius.

Honestius est quod non demonstratur unde habeat, existimari à viro, aut qui in ejus potestate esset pervenisse] Plautus Casina.

Nam peculî probam nihil habere addecet
Clam virum, & quod habet partum, ei haud commodi est,
Quin viro aut subtrahat, aut stupro invenerit.
Hoc viri censeo esse omne, quicquid tuum est.

DE

752607

DE DIVORTIIS.

Olim in Græcia qui uxorem domo exigebat, multam dabat propinquis ejus, ut notat Didymus ad B. Odysseæ. At Athenis qui uxorem ejiciebat, dotem statim reddere tenebatur, ni faceret, damnabatur in usuras. unde explicandum Amphidis illud de uxore :

Ἡ γὰρ νόμῳ γὰ καταφρονοῦσ' ἔνδον μένει.
Namq; illa lege ferocit, & retinet domum.

Terentius in Hecyra.

Si est ut velit reducere uxorem, licet:
Sin alio est animo, renumeret dotem, huc eat.

De primo quod Romæ visum divortio, vide Gellium IV. 3. Valerium Maximum II. 1. Hebræo jure fœminæ repudium dare marito non poterant: Romano poterant, & cùm id facerent, frangebant dotales tabulas. Ita Scholiastes ad Iuvenalem. Athenis mulier quæ repudium marito dare volebat, ipsa eâ de re instrumentum ad magistratum deferre debebat. Plutarchus Alcibiade.

SOLVTO MATRIMONIO dos quemadmodum repetatur.

Pecunia dotalis & dari & reddi solebat annua, bima, trima die. Polybius in fragmentis à Valesio editis : ἐπὶ ὃ τοὺς Ῥωμαίων νόμους δεῖν ἐν τρισὶν ἔτεσιν ἀποδοῦναι τὰ ὀφειλόμενα χρήματα τῆς φέρνης ταῖς γυναιξί. *Cùm moris esset Romani ut quod dotis nomine mulieribus debebatur, id solveretur annua, bima, trima die.* Athenienses Antonio in matrimonium desponderant Minervam suam : Antonius ipsis dotis nomine imperaverat, mille talenta : Cùm Athenienses tempus peterent ad pecuniam conferendam, Deilius ait: *Et tamen scito illos tibi annua, bima, trima die debere.* Vlpianus institutionibus de dotibus : *Dos si pondere,*

pondere, numero, mensura contineatur, annua, bima, trima die reddetur, nisi si ut præsens reddatur, convenerit. reliquæ dotes statim redduntur. Hinc explica L. juris gentium, §. Quinimo, & L. si unus, §. pactus, D. dectis.

L. Fructus eos.

Vindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantis anni confundi debebat] Post vocem fructus, excidit hîc nota dodrantis.

L. Lucius Titius.

An possit maritus propter culpam mulieris, dotem retinere] Mores mulieris sunt graviores, aut leviores. graviores adulteria tantum: ob ea verò dos tota retineri solita. notat Horatii Scholiastes: quod & solidum dici alibi docet. Vide & infrà L. cùm mulier. posterioribus temporibus sexta, ut ex Vlpiano discimus institutionum titulo de dotibus. Vt autem propter nuptias donata, ob adulterium repeterentur, valde esse vetus docet nos Vulcani sermo, apud Homerum odyssex Θ.

Αλλά σφωε δόλῳ ἐ δεσμὸς ἐρύξῃ,
Εἰσόκε μοι μάλα πάντα πατὴρ ἀποδώσῃ ἐέδνα:
Οσσά οἱ ἐγγυάλιξα κιωὼν δ' εἵνεκα κούρης,
Οὔνεκά οἱ καλὴ θυγάτηρ, ἀτὰρ οὐ ἐχέθυμος.
Sed eos hæc vincla doluſque tenebunt,
Donec cuncta mihi genitor mea munera reddat:
Tunc data cum ipsius junxi mihi fœdera natam,
Quæ formosa quidem est, sed recta mentis egena.

De Actione Rervm Amotarvm

L. Non enim.

Non enim æquum est invitum suo pretio res suas vendere] Respublica quidem ex dominio eminente id jus habet, ut alicui imperet suum vendere: privati inter se id jus non habent. L. si filiofamilias,

752607

lias, §. 1. suprà Soluto matrimonio. pretio suo, id est, justo. L. Nec quasi, suprà de rei vindicatione.

DE AGNOSCENDIS ET ALENDIS liberis, vel parentibus, vel patrionis, vel libertis.

Hac de re in provinciis Proconsules cognoscebant. Plinius x Epistola 77. Agis Rex Lacedæmoniorum partum ex uxore sua Timæa non agnovit, ut in Alcibiade narrat Plutarchus.

DE INSPICIENDO VENTRE, custodiendoque partu.

Est hoc de Laconicis moribus. Solebant enim dari custodes partus. Plutarchus Lycurgo.

DE LEGITIMIS TVTORIBVS.

Ut qui sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur] In Marculfi formula LXXIV. *Lex Romana constringit, ut qui tutores esse noluerunt parvulorum, si forte cesserit luctuosa hereditas, in ea ipsi habeantur extranei.*

DE EXCVSATIONIBVS TVTORVM.

L. Si duas.

Et hæreses quædam in lege propositæ] Id est sectæ quatuor, quæ suos in urbibus doctores habebant: Stoïca, Platonica, Epicurea, Peripatetica: docet id nos Lucianus Eunucho. quomodo eorum electio fieret, docet nos ibidem Lucianus & Philostratus Theodoto. Præcedebat morum ac doctrinæ examen. L. magistros. C. de Professoribus. interdum ad Imperatorem res relata. Lucianus ibidem, & Philostratus Chresto.

Nisi decreto Senatus inscripti fuerint] Senatum vocat ordinem civitatis, ut apparet ex D. L. Magistros. Nam quod Senatus agebat Romæ, id est, in mari Ægæo, idem ordo in minoribus civitatibus,

tibus, id est, in simpuvio. Vide Ciceronem de legibus III.

Et circa operationem se negligunter non habeant] Si se utiles studentibus præbeant. L. Grammaticos, C. de Professoribus & medicis.

Si autem propriè loquantur de substantia, inde jam manifesti sient, non philosophantes] Vide. L. Præses provinciæ, §. 4. D. de extraord. cognit.

Sacerdotii stantes] Legendum videtur, *Sacerdotiis, metatis.* nam in Græco est ὑποσταθμίων. Cicero XII. 50. ad Atticum. *Habet hospitium sive* ὑποσταθμίαν. idem sunt metata, de quibus Titulus Codicis in undecimo. exponitur ibi hospitum molestia. In Basilicis μετάτοις τῶν ἐπαρχίαν βαρεῖν scribitur, & μετᾶτα apud Hermenopulum, qui ab iis liberos esse dicit medicos, & grammaticos, ut hîc Modestinus.

L. Sed & milites.

Iam verò & militi impuberi curator datur] In Græco ἀφήλικι. sed Latinus interpres ubique in his Modestini legibus ἀφήλικα vertit impuberem, pro minore, impropriè. Sic infrà. L. non solum, §. si libertus. L. jurisperitos, §. Patronus.

VBI PVPILLVS EDVCARI, VEL morari debeat, & de alimentis ei præstandis.

L. I.

Et nonnunquam à voluntate patris recedit Prætor] Vide L. Quintus, infrà de Annuis. Vetus nationi Germanicæ mos erat ut apud novercam pupillus educaretur. Procopius Gothicorum IV. Alii populi suspicaciores id non probarent. Sic & apud Livium ex libro XXXIX. *Pupillus relictus sub tutela matris, & vitrici fuerat.* Sic Augustus sub Atia & Philippo. Sed vetuit hoc Iustinianus XXII. 38. Solonis fuit constitutio ne tutelam administraret hæres proximus.

DE

752607

DE TVTELÆ ET RATIONIBVS distrahendis, & utili curationis causa, & actione.

L. Postumo.

Neque tutelæ, quia nullus pupillus est, neque pro tutore, quia nulla significatio est, neque negotiorum gestorum tenetur] Legendum *protutelæ*. Vide l. 1. infra. D. eo qui pro tutore⌣.

DE MAGISTRATIBVS CONVENIENDIS.

L. Quòd si.

Non erit iniquum] Melius alii codices : *tamen erit iniquum.* Nunquam enim tutor adversus Magistratum habet actionem, ut dixit lex præcedens.

QVI TESTAMENTVM FACERE POSSVNT, & quemadmodum testamenta fiant.

Testamenti faciendi facultas, quomodo sit juris naturalis diximus libro 11. de jure Belli ac Pacis, c. VI. in fine, & in annotatis. in carmine de Virgilio habemus :

Suprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parêre necesse est.

Testamenta secundum jus vetus Græcum habemus apud Laërtium Platonis, Aristotelis, Theophrasti, Epicuri, Lyconis ; Pacionis apud Demosthenem⌣. Ex illo Theophrasti discimus sufficisse jure Attico signum testatoris sine signis testium⌣. Epicurei illius testamenti particulas Cicero recitat. Secundùm jus Romanum habemus itidem complura, ut in inscriptionibus testamenta Valerii cujusdam, Valerii Castrici, L. Papirii Optati, Cœtraniæ Severinæ, M. Megonii, & jocosum Corocottæ : Lutii Titii in L. ult. D. de fideicomm. Huc pertinent & testamenta Dagoberti, Episcoporum Remigii, Hadaindi, Bertichranni,

chranni, apud Briſſonium, & teſtamenti formula apud Marculfum. Secundùm jus Romanorum, ſed Græco ſermone egregium Gregorii Nazianzeni editum cum orationibus ejus contra Iulianum. alterum in Iuſtiniani Novella CLX. aliud in jure Græcoromano. p. 203. in Gruteri inſcriptionibus. p. 216. Habes & partes teſtamentorum apud Suetonium vita Cæſaris 75. vita Auguſti, capite ultimo. vita Tiberii, capite ultimo. vita Claudii, cap. 4. Appianum 11. bellorum civilium, Dionem libro XLIII. Tacitum libro 1. Vlpianum, L. vel quod. D. de Religioſis. L. Prætor, §. ſi quis, D. de ſepulchro violato, Scriptorem de vita Virgilii, Plinium VI. Epiſt. 10. IX. Epiſt. 19. Apud Scholiaſten Horatii. *Inteſtabilis cui non licet teſtamentum condere, aut ex teſtamento aliquid accipere.* Cauſa erat, quia tales nec teſtimonium ipſi dicere poterant, nec alius ipſis, ut ait alius Scholiaſtes, congruenter Cajo, infrà Cùm lege hoc titulo.

L. Ejus qui.

Si cui aqua & igni interdictum ſit, ejus nec illud teſtamentum valet quod antè fecit] Habes hoc apud Dionem Tiberio.

L. Ex ea ſcriptura.

Ταύτῃ τῇ διαθήκῃ βέλομαι εἰ) κυρίαν ὅτι πάσης ἐξουσίας] Huic clauſulæ ſimilis illa, quam codicillarem vocant, per quam vult teſtator teſtamentum ſuum, ſi jure teſtamenti valere non poteſt habere vim codicillorum. L. ſi miles, D. de teſtamento militis. L. ſi quis agere, §. ſi quis verò, C. de codicillis. utramque poſuit in ſuo teſtamento Gregorius Nazianzenus his verbis: Ταύτῃ μὲ τῇ διαθήκῃ κυρίαν ⸫ βεβαίαν εἰ) βέλομαι ὅτι παντὸς δικαιωθείσα ⸫ πάσης ἐξουσίας. εἰ δ' ⸫ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειεν, ὡς βέλησιν αὐτῇ ἢ ὡς

752607

ἢ οὕτω κωδίκιλλον αὐτὸν ἰσχύειν βούλομαι. *Hoc testamentum meum ratum, firmumque volo esse apud omnes judices, & omni jure; quod si ut testamentum non valeat, valere volo ut voluntatem, sive ut codicillos.*

DE LIBERIS ET POSTVMIS HÆredibus instituendis, vel exheredandis, vel præteritis.

L. Si ita scriptum.

Assem distribuendum esse in septem partes] Vide 11. 7. Elem. Euclidis.

L. Gallus.

In decem mensibus proximis] Menander: γυνὴ κύει δεκάμηνον. Cæcilius: *insoletne mulier decimo mense parere?* Cicero in Topicis, testamentum recitat, in quo erat: *Si filius natus esset in decem mensibus.* Varro apud Gellium III. 16. *Si quis mihi filius unus pluresve in decem mensibus gignuntur.* Plinius historiæ naturalis VII. cap. 5. *In libris veteribus Masurius auctor est. L. Papirium Prætorem secundo hærede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse, cùm mater partum se tredecim mensibus diceret tulisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur.* Hæc opinio Papirii meritò rejecta est: pertinet enim ad incertas reddendas successiones, & impudicitiæ fræna laxat.

DE INIVSTO, RVPTO, IRRITO facto testamento.

Negabat Servius tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit. quod verò hîc rumpi dicitur, id διαῤῥαγῆναι, dixit Chrysostomus XI. ad Romanos.

L. Tunc autem.

Vel ab eo scriptus est qui ab intestato venire potest] Hoc ad Vlpiani verba Tribonianus addidit. Vlpiani tempore una tantum erat exceptio: si jure militari factum esset secundum testamentum. Vide institut. eodem, §. ex eo. Alteram exceptionem, si institutus esset, qui ab intestato erat successurus, debemus Theodosio, & Valentiniano. L. Hac consultissima, C. eodem titulo.

L. Si quis filio.

Vel seditio prærupta factioque cruenta] Quintilianus declamatione ccv. *Reipublicæ læsæ quædam sunt, judices, ad quorum pronuntiationem oculi sufficiant.*

DE HIS QVÆ IN TESTAMENTO delentur, inducuntur, vel inscribuntur.

L. Proximè.

Priscianus advocatus Leonis] Melius alii libri, *Zenonis:* planè eandem hic causam defendit, quam Vivius Zeno antè nominatus.

DE VVLGARI ET PVPILLARI substitutione.

L. Cohæredi.

Ille filius meus] Scribe: *Si ille filius meus.*

DE CONDITIONIBVS Institutionum.

Conditiones quæ contra bonos mores inseruntur] Qualis illa in Tiresia Horatii:

anus improba Thebis
Ex testamento sic est elata. cadaver
Unctum oleo largo, nudis humeris tulit heres:
Scilicet elabi si posset mortua: credo
Quòd nimium institerat viventi.

Vbi

752607

Vbi sic Scholiastes: *In testamento præcepit, ut sic efferretur, nimirum ut nuda & oleo uncta à captatore nudo efferretur, ea videlicet cogitatione, ut vel mortua humeris ejus elaberetur, cujus viva captationem evadere non potuerat.* Tales & illæ quæ mulieres aut pueros gladiatorio more concurrere jubebant, quas irritas fuisse narrat Nicolaus Damascenus.

DE TESTAMENTO MILITIS.

L. Facere testamentum.

Hostium potitus] Antiquè dictum pro eo quod est, qui in potestatem hostium devenerat. Loquitur sic Tryphonius, L. in bello, §. cætera. D. de captivis. & Papinianus, L. quod si filius: dicto jam titulo. Ex Plauto scilicet, qui in Captivis dixit:

Nam postquam meus rex est potitus hostium.

Et Epidico:

ita gnata mea hostium est potita.

Et mox:

eductam perdidi:
Hostium est potita.

L. Lucius Titius.

Scribendum notis dictavit] Quod Cicero dicit, διὰ σημείων.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. I.

L. Si servus.

Non tamen provocabit?] Scribe: *Non tamen provocavit,* heres scilicet.

L. Si ita.

In tantos quanti inveniantur] Græca locutio, ἐς τόσους ὅσοι εὑρίσκονται. nam Græci adjectiva ista continuæ & discretæ quantitatis, eodem modo eloquuntur.

L. Si fundum.

Sed exceptione doli mali posita] Exceptio hîc replicationem significat, quæ est velut exceptionis exceptio.

L. Si quid relictum.

Sive in distributionem relinquatur] εἰς διανομὰς, ut ait Libanius : ad divisionem infrà L. civitatibus, hoc titulo, & L. cum quidam, infrà de annuis legatis. Plautus Aululariâ :

Nam noster nostræ qui est magister curiæ,
Dividere argenti dixit nummos in viros.

Et postea :

Magister, quem dividere argentum oportuit.

L. Lucius Titius.

Fratribus suis] *Fratri suo*, legi suadent sequentia.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. II.

L. Sempronius.

Exemplarii causa scripta] Id est, ita ut utrumque esset πρωτότυπον, archetypum; duobus exemplaribus factum testamentum, l. 1. §. si quis in duobus, infrà, D. de bonorum possessione contra tabulas. Sic Theophrastei testamenti tria fuêre exemplaria, quæ ibi dicuntur ἀντίγραφα, pari modo scripta ; in Novellis ἰσότυπα. idem est pluribus codicibus. L. locum habet, infrà de tabulis exhibendis, & institutionibus de testamentis, §. penult. Florentinus per καλάχνησιν dixit *pluribus exemplis*, suprà qui testamentum facere possunt, quomodo & Ovidius loquitur.

L. Lucius Titius.

Hoc meum testamentum scripsi, sine ullo Iurisperito, rationem animi mei potius secutus, quàm nimiam & miseram diligentiam] In subscriptione Neapolitana. *Dolus malus & jurisconsultus abesto.* Nam alioqui

752607

alioqui solebant ad testamenta scribenda adhiberi jurisconsulti. Cicero II. de oratore. Suetonius Nerone XXXII. Arrianus libro II. dissertationum Epicteti.

DE LEGATIS ET FIDEICOMMISSIS. III.

L. Pamphila.

Et responso ejus tali μείλιχα] Est responsio affirmans apud Aristophanem, Xenophontem, & alios.

L. Uxorem.

A qua Seja] Transit de secunda persona in tertiam.

L. Item legato.

Burdones] Isidorus XII. 1. *Mulus ex equa & asino : burdo ex equo & asina.* Vtitur hac voce Hieronymus in versione IV. Regum V. 17. & manet apud Hispanos.

Item mancipia alia, puellæ fortassis quas sibi comatas mulieres exornant] Legendum : *puellæ fortassis, sive cosmetæ, qui mulieres exornant.* Explicat quid veniat sub nomine uxoris causa paratorum, & ait comprehendi mancipia, non puellas tantum, sed & viros, qui ornandis mulieribus serviebant, & inde dicebantur κοσμῆται. in Glossis. κοσμήτης, *ornamentarius, ornator.* ornatorem & Seneca dixit.

L. Cùm filiusfamilias.

Quòd si quis paterfamilias impuberi leget] Lege: *patrifamilias*, & impuberem sume ἀφήλικα, ut in versione Modestini monuimus.

L. Librorum.

Sive in charta, sive in membrana sint] Isidorum vide VI. 11.

Et si in philyra] Meminit Plinius libro XIII. & Martianus Capella: & Ælianus, Herodianus, Eustathius. Cinna misit amico Aratea,

Lævis in aridulo malvæ descripta libello.

Vel ornat] Ovidius initio tristium ad librum suum.

Vade, sed incultus qualem decet exsulis esse:
Infelix habitum temporis hujus habe.
Nec te purpureo velent vaccinia succo:
Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur
Candida, nec nigra cornua fronte gerat.

L. Ligni.

Nec sarmenta ligni appellatione contineri] Cicero quoque tertia Verrina distinguit ligna & sarmenta. *Sarmentum à serendo, quasi sermentum.* Ita enim legi debet apud Isidorum libro XVII. 5. ubi de vitibus agit: & serere intellige ligare: unde sertum & conserere.

Ἀπὸ τῆς ἕλης] ἕλη, τόπος σύμφυλος. Grammaticis Græcis: arboreta.

L. Cùm quæreretur.

Neque topiarium] Topia habes apud Vitruvium: unde Topiarium opus Plinio libro XV. Topiarios apud Ciceronem ad fratrem, minorem Plinium. Topiariam facere apud Ciceronem eodem libro.

L. Avibus.

Aviaria] Aviaria hîc intellige, non nemora, ut apud Virgilium, Isidorum: sed volucrum cubilia, ut explicat Columella, & utitur Cicero ad fratrem.

L. Si cui lana.

Ut putà stamen, & subtemen] Subtemen dictum pro

752607

pro substamen. Varro: *Stamen à stando, quia eo stat omne in tela velamentum. subtemen quod subest stamini.* Stamen Græcum est στάμων, quod στήμων in glossis.

Lanæ appellatione tomentum non continetur] *Tomentum appellatum quod aut in filo, aut in tela tumeat.* Isidorus XIX. 27. Martialis:

Tomentum concisa palus Circense vocatur.

Tomenti Circensis mentio & apud Senecam de vita beata: Culcitæ ex tomento apud Varronem, & Suetonium Tiberio.

L. Lucius Titius.

Ex parte dimidia] Totus hic paragraphus malè hîc repetitus est, ex eo qui suprà. L. patri filiam, §. ultimo, hoc ipso titulo.

DE VSV ET VSVFRVCTV LEGATO.

L. I.

Vel capite diminutus ex magna causa fuerit] Maxima diminutione, qua libertas perit.

L. Vltima.

An rerum tertiæ partis] Heraldus, *certæ partis:* & id exigere videntur sequentia.

DE OPTIONE, VEL ELECTIONE Legata.

L. Apud Ausidium.

Mutare voluntatem eam non posse] Seneca III. Controv. 23. *Optio semel puellæ datur: immutabilis est, semel emissa. judex quam tulit de reo tabellam, revocare non potest. quæsitor non mutabit pronuntiationem suam. Si vellet, & alteram suam optionem revocare, & deinde tertiam, nunquam constabit, quid futurum sit, cùm illa quod optaverit, possit sequenti semper optione rescindere.*

DE TRITICO, VINO, VEL OLEO LEGATO.

L. Si quis vinum.

Sed si mulsum sit factum] Malè in quibusdam editionibus, *nullum*. *Mulsum ex melle mixtum. est enim potus ex aqua & melle. quod Græci μελίκρατον vocant*. Ita Isidorus XX. 3. verumetiam quod ex vino & melle fit, mulsum dicitur Macrobio teste Saturnalium III, II. & VII. II. Atque de eo hîc quæstio est, ut & institutionibus de rerum divisione, §. qui ex aliena. nam de hydromeli loquetur jam.

Simili modo nec camum] Lege *carenum*. Isidorus dicto loco: *Carenum, eo quod fervendo parte careat: tertia enim parte musti amissa, quod remanserit carenum est*. Meminêre & Palladius, & Nicolaus Myrepsus, & Apitius.

Nec cerevisia continebitur] Isidorus ibidem: *Cerevisia à Cerere, id est, fruge vocata; est enim potio ex seminibus frumenti, vario modo confecta*. Vetus ejus usus in Gallia fuit, ut testantur Plinius XXII. 25. & Iulianus Epigrammate Græco.

Quid conditum] Isidorus. *Conditum vocatum quod non sit simplex, sed commixtione pigmentorum compositum*. Est & de eo Græcum Epigramma Palladæ. habet id vocabulum & Plutarchus, Alexander Trallianus, Tiberius Hippiatricis, & Agatetychus in ejusdem argumenti libro.

Et passum] *Passum quicquid ex uva passa, pressa effluxerit: nam percutitur uva siccior, & inde fit passum*. Isidorus ibidem. Apud Columellam libro XII. descriptionem habes & passi primarii, & passi secundarii.

Defrutum non continebitur.] Isidorus dicto loco. *Defrutum dictum est, quod defrudetur, & quasi fraudem patiatur*. Nonius: *Defrutum si ex duabus partibus ad tertiam redegerint defervefaciendo*.

Mu-

752607

Mustum scilicet. Nam ea vox præcesserat. Originationem à defervendo etiam Palladius probat. Columella; *Mulsum quam dulcissmum decoquitur ad tertias: & decoctum defrutum vocatur.* At Plinius etiam ad mediam partem solitum decoqui nos docet.

L. Qui vinum.

Qui vinum Surrentinum in urnalibus habebat, diffusum, is tibi vinum legavit in amphoris. omne illud quoque vinum quod in urnalibus fuisset legatum esse Labeo & Trebatius responderunt] Ita legendus hic locus, quem nonnullæ editiones corruptum exhibent. urnarium habes apud Varronem & Nonium.

Aminæum] Isidorus ex Servio: *Aminæum quasi sine minio, id est, quasi sine rubore, nam album est.* Sed Græca vox est, Αμινάῖος οἶνος, ut scribi vult Hesychius, Αμιναία σταφυλὴ, apud Dioscoriden. Virgilius:

Sunt & Aminææ vites, firmissima vina.

Dicta autem Aminæa uva ab Amineis, ubi nunc Falernum est, ait Macrobius fine secundi Saturnaliorum. Ausonius Aminæum in fine Pentametri posuit: sed corruptiore sæculo.

DE INSTRVCTO, VEL INSTRVMENTO legato.

Instrumentum fundi Sabini habes apud Gellium VII. II. hortos instructos dicit Cicero de officiis: *Arationes magna impensa, magnoque instrumento tueri*, in Verrem. Idem instrumenta, & ornamenta villæ, dixit pro domo sua.

L. In instrumento.

Sarculi] Varro: *Sarculum à serendo vel sarriendo.* Isidorus: *Sarculum ferrum fossorium est, habens duos dentes; à sarriendo, id est, fodiendo dictum.*

dictum. Sarcula octo vult haberi Cato. Horatius:

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros.

Ovidius cum rostris & ligonibus conjunxit.

L. Quæsitum est.

Vas aneum, in quo sapa coqueretur] Varro de vita populi Romani: *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.* Citat Nonius, additque suo tempore dictum mellaceum. At Plinius XXIII. 2. *Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit.* Idem habet libro XIV. ubi & Græcis ἕψημα, & quibusdam siræum dici ait. Nigram lagenam sapæ dixit Martialis. Purpuream sapam Ovidius Fastorum IV. In Glossario: *sapa* ἕψημα.

Vela autem cilicia] Asconius ad III. Verrinam: *Cilicia texta de pilis in castrorum usum atque nautarum.* Isidorus: *Cilicia Arabes nuncupant velamenta, pilis caprarum contexta, ex quibus sibi tentoria faciunt.* Sisenna: *Puppes aceto madefactis centonibus integuntur, quos supra perpetua classi suspensa cilicia obtenduntur.* Ciliciis excipi impetum sagittarum dicit Vegetius IV. 6. Nomen haud dubium, quin ex Cilicia, ubi hirci plurimi. notat id Servius ad illud Virgilii:

Nec minus interea barbas incanaque menta
Cyniphii tondent hirci, setasque comantes;
Vsum in castrorum, & miseris velamina nautis.

Sifones] Inter instrumenta vigilum sifones suprà posuimus. Isidorus: *Siphon vas appellatum, quod aquas sufflando fundat. Vtuntur enim hoc Orientales. nam ubi senserint domum ardere, currunt cum siphonis plenis aquis, & extinguunt incendia.* Vox est Græca σίφων, exponente Hesychio: ὄργανόν τι εἰς κάτεσιν ὑδάτων ἐν τοῖς ἐμφρησμοῖς. *Instrumentũ ad jaculandas aquas adversus incendia.* Habet Latinè

hanc

752607

hanc vocem in historia naturali Plinius, & Iuvenalis. nomen tractum à sono cœpit per similitudinem transferri ad μετίωρον quoddam, de quo ad Lucanum diximus; ad id quo vinum transvasatur; ad chirurgicum instrumentum.

Theriacam quoque] Celeberrimum in medicorum libris, & in hodierno etiam usu medicamen, multis ex rebus compositum, sed inter quas præcipua vis carni viperæ, quam Græci eximiè θηρίον vocant. Isidorus: *Theriaca est ἀντίδοτον serpentinum, quo venena pelluntur, ut pestis peste solvatur.*

L. Taberna.

Ancones] A cubiti forma.

Congiaria] Isidorus: *Congiarium specialiter est mensura liquidorum, cujus & rem simul & nomen à Romanis impositum invenimus.* Congiarios dixit Plinius Major: Congialem fideliam Plautus.

Collyria & emplastra] Isidorus: *Collyria Latinum sonat, quod vitia oculorum detergant: emplastrum, eo quod inducatur.* Sed Collyrium vox Græca est. Scribiturque aliis κολλύριον, quod factum sit ad formam pastillorum, qui κολλύραι Græcis: aliis κολύριον, quasi ἀπὸ τῆς κολύσεως τοῦ ῥεῖν. à fluxu prohibendo.

DE PECVLIO LEGATO.

L. Sticho.

Respondit] Iulianus nempe, Africani magister.

DE PENV LEGATA.

L. Qui penum.

Q. Mucius scribit libro secundo juris civilis penu legata

legata contineri, quæ esui, potuiq; sunt. Idem Sabinus libris ad Vitellium scribit: Quæ harum, inquit, patrisfamiliæ, uxoris, liberorumve, vel familiæ quæ circa eas esse solet. Hoc quoque Sabinus habuit ex Q. Mucio Scævola. is enim sic scripserat: *Penus est quod esculentum aut poculentũ est. quod enim ipsius patrisfamilias, ejusque familiæ, quæ circum eum aut liberos ejus est, & opus non facit, causa paratum est, penus videri debet. Nam quæ ad edendum bibendumque in dies singulos prandii, aut cœnæ causa parantur, penus non sunt; sed ea potius, quæ hujusce generis longæ usionis gratia contrahuntur, & reconduntur, ex eo quod non in promtu sint, sed intus & penitus habeantur, penus dicta sunt.* Gellius XV. 1. Illud, *quæ opus non facit*, quomodo sumendum, infrà docebimur, §. sed quod diximus. Quod verò censuit Scævola, quæ in dies singulos parantur, non esse in penu, in eo consentire ei videtur Servius ad 1. Æneidos. *Inter penum & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum: unde & in cella dicitur imperatum frumentum: penus verò longi temporis.* Addit: *Sæpe dicimus & hic, & hæc, & hoc penus; sed à masculino & fœminino genere, quarta est declinatio: à neutro est tertia, quomodo est pecus pecoris.* Lucilius:

Vxori legata penus.

Item jumentorum, quæ dominici usus causâ parata sunt] Ex Masurio Sabino. is enim libro juris civilis secundo, etiam quod jumentorum causa paratum esset, quibus dominus uteretur, penori attributum dixit. vide infrà, §. simili modo.

Sed Aristo notat etiam quæ esui potuique non sunt, contineri legato, ut putà ea in quibus esse solemus] Non sola quæ esui, & potui sunt, penus nomine significari, etiam Sejus Ælius sensit Gellio teste.

Ligna & carbones, cæteraque per quæ penus conficeretur,

752607

ficeretur, an penore legato contineantur, quæritur: & Q. Mucius & Ofilius negaverunt] Fuiſſe hoc olim juris controverſi ex eodem Gellii loco diſcimus.

Iidem & tus, & cæras contineri negaverunt] Legendum *cæreos*. nam ſunt & epiſtolares cæræ. de ture autem & cæreis eadem quę Rutilii, etiam Seji Ælii ſententia fuit.

DE SVPELLECTILE legata.

L. Labeo.

Nunc ex ebore, atque teſtudine, & argento: jam ex auro etiam atque gemmis ſupellectili utuntur] Lecti teſtudinei mentio apud Iuvenalis Scholiaſten eſt. teſtudinei hexaclini apud Martialem. De hoc genere ſupellectilis egregia habet Chryſoſtomus ad illud: *Salutate Priſcillam*: & homilia 11. de Lazaro. Aurelianus imperator permiſit, ut aureis, qui vellent, vaſis uterentur, & poculis.

Nam & argenteos lectos] Lectos alios ex ebore, alios ex teſtitudine, jam ſua ætate ait fuiſſe Varro libro VIII. de lingua Latina. Et ad uſum in veſtimentis, ædificiis, ſupellectili, novitati non impedire veterem conſuetudinem.

DE ALIMENTIS ET CIBAriis legatis.

L. Mola.

Vt pueri uſque ad decimum octavum, puellæ uſque ad quartum decimum annum alantur] Tullus rex pueros exiſtimavit, qui minores eſſent annis XVII. ad annum XLVI. juvenes: ſupra eum ſeniores. Gellius X. 28.

DE

DE AVRO, ARGENTO, MVNDO, Ornamentis, unguentis, veste, vel vestimentis, & statuis legatis.

L. Quintus Mucius.

Quod ejus causa emtum paratumve esset, id videtur legasse, quod magis illius, quàm communis usus causa paratum esset] Confer, L. Hoc legatum, suprà de legatis III. L. cùm in testamento, infrà hoc titulo. L. in lege Censoria, circa finem de verborum significationibus.

L. Species.

Respondit verbis quæ proponerentur proprietatem legatam] Conjectura valida voluntatis efficit, ut multæ ἀνωμαλίαι admittantur. quid enim alioqui magis mirum, quàm ususfructus vocem ad proprietatem extendere?

L. Cùm aurum.

Sive factum] Id est, in vasis, ut Livius loquitur aliquoties: ἐν σκεύεσι πεποιημένον, ait Appianus. Itaque argentum factum, esse vas interpretatur infrà Q. Mucius, L. ab ejus nomine incipiente. Servius ad x. Æneidos, tria genera argenti vel auri nominat: *Signatum, factum, infectum; signatum quod in vasis, & signis, ut cælati argenti. infectum quod in massis, ut: infectique mihi.*

L. Argumento.

Gemmæ, lapilli] Non & uniones. nam hi in ornamentis non censentur comprehensi, ob ingens pretium. eadem de causa mancipari soliti, ut prædia. Plinius IX. 35. Historiæ naturalis.

Mundus mulieris, quo mulier mundior fit] Distingui hîc vides mundum ab ornatu. Sic & Varro:

752607

Varro: *Mundus muliebris dictus à munditia. ornatus, quasi ab ore natus, hinc enim maximè sumitur, quod eam deceat. itaque ob id paratur speculum.* Speculum, consilium formæ Martiali.

Et contra est aliqua ex somno statim ornata, non tamen commodata] Lege *non tamen emundata*: id est, lota. exigunt id præcedentia.

L. Quintus Mucius.

Non puto ventris causa habita scaphia contineri] Martialis:

Ventris onus misero, nec te pudet, excipis auro.

Propriè autem scaphium feminarum; Iuvenalis:

Et ride positis scaphium cùm sumitur armis.

Nam virorum lasanum dicitur.

L. Inter restem.

Non videretur de ea sensisse, quasi virili utebatur] Apparet legendum, *qua quasi virili.*

DE ADIMENDIS VEL TRANSFERENDIS legatis, vel fideicommissis.

L. Si quis ita.

Scio hæres meus dare damnas esto] Legendum *Sempronio*, apparet ex sequentibus.

DE REBVS DVBIIS.

L. 1.

A fundi Mæviani pretio] Fundi, propriè dicti Mæviani. erat enim hoc nomen ambiguum, & ad totam possessionem, & ad quandam ejus partem.

L. Qui duos.

Divus Hadrianus credidit patrem priùs esse mortuum] Sic & apud Lucanum III. pater filio,

Semanimisque jaces, & adhuc potes esse superstes.

Tacitus

Tacitus Annalium XVI. de L. Vetere, socruque ejus, & filia. *Servavitque ordinem fortuna: ac senior prius, tunc cui prima ætas, extinguuntur.*

DE HIS QVÆ POENÆ CAVSA relinquuntur.

L. 1.

Illicitè vel probrosè] Adjectum hoc à Tribonia-no. Vide, §. pœnæ, D. de Legatis. Olim generale jus erat, ne quid pœnæ nomine legaretur. Habemus tamen exempla pœnarum in inscriptionibus, ut qua hæres jussus sepulchro inscribere quantum accepisset: Ni faceret, damnas esset, centum paria gladiatorum dare, epulum arbitrio Arrii, & frumentum. Probrosum est, ut pretium restis legatum liberto, apud Horatii Scholiasten.

DE HIS QVÆ VT INDIGNIS auferuntur.

L. 1.

Quamvis & præmium meruit] Faciunt diversæ inspectiones facti ejusdem, ut quis ex eo & præmium mereatur, & pœnam. Xerxes gubernatorem. qui dejectis in mare Persis, navem qua rex fugiens ferebatur, servaverat, ob regem servatum, donavit aurea corona: ob datos morti Persas, caput ei abscidit, narrante in Vrania Herodoto. Isadas coronatus ab Ephoris quod benefeciisset: mulctatus autem mille drachmis quod processisset inermis. refert Plutarchus Agesilao. Servus qui Syllanis temporibus P. Sulpicium prodiderat, ut præmium promissum indici haberet, manumissus est: at ob scelus domini prodiți, de saxo dejectus est. ita tradit Epitome Livii, & Orosius. Simile quid habes apud Capitolinum in Macrino.

L. Post legatum.

Omnes qui ut indigni repelluntur, summovendi sunt

752607

sunt à præmio, quod secundùm edictum Divi Hadriani datur his qui se deferunt] Edicto Trajani significabatur, ut si quis antequam causa ejus ad ærariam deferretur, professus esset eam rem, quam possideret, capere ei non licere, ex ea partem fisco afferret, partem ipse retineret. L. Edicto. D. de jure fisci. Hoc edictum ad eos pertinebat, qui capere duntaxat non poterant, & tamen ex illorum temporum jure locum fisco faciebant. At qui ut indigni repelluntur, hi submovebantur ab hoc præmio. D. L. Edicto, §. eos.

L. Si gener socerum.

Si gener socerum hæredem reliquerit] Legendum videtur, *si socer generum.* Nam paterna affectio, quæ sequitur, est soceri quasi parentis affectio erga generum. Suspicio autem esse poterat, an non hoc fieret, ut filia per legem incapax hereditatem caperet: sed incerta.

DE CONDITIONIBVS ET DEMONstrationibus, & causis, & modis eorum quæ testamento scribuntur.

L. In testamento.

Publii Septimii Damæ erat] Is ipse erat quem testator indicare voluerat. Nam nomen plenum honestumque est Δημήτριος: contractum, quale servis & libertis dabatur, Δημᾶς & Δαμᾶς. Sic Marcus Dama apud Persium. Vide quæ diximus ad Lucæ initium.

L. Quæsitum.

In proposito sapienter faciet heres] Græci dicerent, ἐν τῷ προκειμένῳ, vel ἐπὶ τοῦ προκειμένου. in hac specie de qua agitur. Cicero in Topicis, *quod θέσιν illi appellant, nos propositum possumus dicere.*

Ad

Ad legem Falcidiam.

Est hujus legis mentio apud Dionen Augusto.

L. Falcidia intervenire.

Falcidia intervenire non potest, si statu liber de alieno dedit, non de bonis defuncti] Sensus est hoc non imputari heredi in Falcidiam. Vide infrà, L. in quantum hoc titulo.

L. In lege Falcidia.

Vt tantum videatur vi deberi] Id est reipsa. id'm loquendi genus, L. cogi poterit, §. inde quæritur, infrà ad Sc. Trebell.

L. Qui quadraginta.

Dixi τῶν ἀπόρων hanc quæstionem esse] Ἄπορα, inexplicabilia vertit Cicero Academicarum quarto, ubi aliqua eorum adfert exempla. Vertit eodem modo Gellius IX. II. Sub eo sunt & ἀνάπαλιν φέροντα, quæ Latinorum quidam reciproca dixêre, de quibus Gellius V. IO. II.

L. In quartam.

Sive legatum, vel fideicommissum datum sit heredi, sive præcipere, vel deducere, vel retinere jussus est, in quartam id ei imputatur] L. qui non D. de hæredibus instituendis. L. Nesennius. L. Titius hoc titulo.

Si accepta pecunia hereditatem restituere rogatus sit, id quod accepit, ei imputatur] L. cùm Pater, suprà de legatis II. L. deducta, infrà ad Sc. Trebell.

Si quid verò implendæ conditionis causa heres accipiat à legatariis in Falcidiæ computatione non prodesse] Nempe legatariis. L. in ratione, §. tametsi. L. id autem, suprà hoc titulo.

AD

752607

AD SENATVSCONSVLTVM Trebellianum.

L. *Sed sciendum.*

Vel nomen vispellionis testatoris ferre] Cicero ad Atticum VII. 8. *Est πολιτικὸν σκέμμα rectumne sit nobili adolescenti, mutare nomen mulieris testamento.*

L. *Ille.*

Prætorem quidem in prætorem, vel consulem in consulem nullum imperium habere] Sic prætores prætoribus non turbabant auspicia. Gellius XIII. 14. Oportet enim majus imperium habeat, qui alteri imperet.

Ipse se cogere non poterit] Sicut in rebus naturalibus ἀνάγκη τὸ ποιοῦν, ἢ τὸ πάσχον τῇ γλυκεῖ μὲν ὅμοιον εἶναι, τῇ δὲ εἴδει ἀνόμοιον, καὶ ἐναντίον. *Necesse est quod agit, & quod patitur, genere quidem conveniant: sed in specie distent, ac pugnent inter se.*

L. *Ex facto.*

Etiam deportato ei tribuit eligendi facultatem] Respicitur locus Papiniani, qui est in L. cùm Pater, § hereditatem filius, D. de legatis secundo. ubi pro, *filius*, legendum videtur, *Osilius*.

Si alieno herede] Alii codices habent, *sine herede*. & id melius, ut scilicet heredis vox hîc liberos significet, quod sequitur.

L. *Heres cùm debuerat.*

Similem eum esse Aristo, ait] Sequor virum eminentem Antonium Fabrum, qui *non similem* rescribit.

L. *Sejus Saturninus.*

Archigubernus] Gubernator navis prætoriæ, quam cæteri sequebantur. Vide Procopium Vandalicorum I.

Ex

Ex classe Brittannica] Descriptionem ejus habes apud Tacitum in Agricola: nomen etiam historiarum IV.

L. Facta in fideicommissariis.

Plus enim tribui à prætore ei qui fideicommissum petit, quàm testator voluit, absurdum est] Hæc ponenda post illa quæ mox sequuntur, *adire & restituere*, probabiliter admodum censet Heraldus.

QVANDO DIES LEGATORVM, VEL fideicommissorum cedat.

Tertullianus, qui verba juris amat usurpare, in libro de fuga in persecutione: *Sol cessit diem emtionis nostræ*, ubi breviloquentia est, pro, sol cedens fecit ut dies redemtionis nostræ cederet. Sic & emancipationis & stipulationis verba, de jure civili sumpta, ibidem sequuntur.

L. Si dies.

Quod scribendi comprehendere sit commodum] Aliæ editiones, *scribendo*. quodcunque illi libuerit scribere.

SI TABVLÆ TESTAMENTI EXTABVNT.

Symmachus X. 27. *Et sententiam de possessione impatienter exigerent, quibus ab intestato bonorum possessio minimè competebat, quod heredibus scriptis secundum tabulas decebatur indulta.*

DE BONORVM POSSESSIONIBVS contra tabulas.

Sed etsi filius in metallum damnatus, vel alia pœna quæ servum effecit, restitutus sit, nihilominus admittetur] Alii codices habent, *non admittetur*: & ita scripserat Vlpianus, qui duriorem semper facit conditionem servorum pœnæ, quàm deportatorum. L. ex facto, §. si quis, suprà ad Sc. Trebell.

DE

752607

DE LEGATIS PRÆSTANDIS CONTRA TABULAS BONORUM POSSESSIONE PETITA.

L. Filium quis.

Tamen nunc ob hoc, quod extraneis non præstantur, legata liberorum augentur] *Tamen non ob hoc.*

DE VENTRE IN POSSESSIONEM MITTENDO, & CURATORE EJUS.

Venter hìc est partus futurus. apud Horatium minus propriè partus editus.

Tuusque venter Pactum ejus.

SI A PARTE QVI MANVMISSVS SIT. *L. Vlt.*

Propter necessitatem solvendæ pietatis] Scriptum fuit ptatis. id verò erat potestatis. Pater hic non sponte, sed coactus sua potestate filium solverat.

Item navarchos & trierarchos classium, jure militari posse testari, nulla dubitatio est] Sunt enim & nautica castra, ut Servius ait ad III. Æneidos. *Trierarchus navi triremi præpositus*, ait Asconius. ad III. Verrinam. Sed legendum *trieri*. trieris est trium ordinum navis. triremis remorum trium. trierarchi vocem habuimus & suprà in L. Sejus Saturninus, D. ad Sc. Trebell. utitur & Cicero in III. Verrina. l. τριηράρχης, τριηραρχῆν, τριηραρχία, apud Demosthenem & Atticos alios sumptum injunctum significat.

DE BONIS LIBERTORVM.

Ius hoc à Græcis venit. Aristoteles Rhetoricis ad Alexandrum I. 2. καθάπερ ὁ νομοθέτης κληρονόμους πεποίηκε τοὺς ἐγγυτάτω ζῶντας τοῖς ἀπαγαγοῦσιν ἀποθανόντος, οὕτω καὶ τῆς τοῦ ἀπελευθέρου χρημάτων, ἐμὲ νῦν φροντίδι κύριον γενέσθαι. τῆς γὰρ ἀπελευθε-

ἀνθρωπάντων αὐτὸν τετελευτηκότων, ἐγγυτάτω γένους αὐτοῖς ὤν, ἐγὼ τῶν ἀπελευθέρων δίκαιον αὐτοῦ εἶναι ἄρχειν. *Sicut legum conditor heredes iis, qui ſine liberis decedunt, fecit genere proximos, ita & me bonorum liberti oportet eſſe heredem. nam cùm qui eum manu miſerant, mortui ſint, ego qui eis ſum proximus, jus habeo in eorum libertos.* Vides hîc jus datum & patronis, & eorum liberis.

L. Filius.

Nam per ſemetipſum] *Non per ſemetipſum.*

DE ADSIGNANDIS LIBERTIS.

L. Vtrum.

Vtrum portio ejus qui in civitate eſſe deſiit, vel repudiavit, in familiam redeat] Illud *vel repudavit* à Triboniano eſt. Vide L. filii, ſuprà, de jure patronatus.

SI QVID IN FRAVDEM PATRONI factum ſit.

L. I.

Vt enim ſuo loco oſtendimus] Videamus an hoc à Triboniano ſit, reſpiciente ad id quod ſuprà habuimus, L. de bonis, §. huic autem, D. de Carboniano edicto.

SI TABVLÆ TESTAMENTI NVLLÆ exſtabunt, unde liberi.

L. I.

Quis non dicat etſi adoptatus ſit, & quaſi filius, nihilominus filio ſuo eum non obſtare: quia quaſi filius adoptivus eſt in poteſtate, non quaſi naturalis] Si quis præcedentia rectè conſideret, inveniet legendum eſſe, *non quaſi filius*. quia adoptatus erat ut nepos: & delendam poſtea vocem *filius*, ante illam *adoptivus*. non eſt in familia quaſi filius, ſed quaſi nepos, & quidem adoptivus.

VNDE

752607

VNDE COGNATI.

L. I.

Et ex septimo duas personas, sobrino & sobrina, natum & natam] Vide Demetrii Syncelli meditationem in jure Græcoromano p. 403.

DE GRADIBVS ET AFFINIBVS, ET nominibus eorum.

L. Non facile.

Viri frater levir] Isidorus : *Mariti frater levir dicitur.* Est vox planè Græca Δαὴρ, ΔαFὴρ, Levir, sicut ex Δάκρυμα, lacryma.

Viri soror glos dicitur] Vox manifestè Græca. Isidorus, *Viri soror glos appellatur.* Glos mariti soror, Nonio, in Glossario, *Glos:* ἡ τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφὴ γάλως. παρὰ Πλαύτῳ.

Duorum fratrum uxores janitrices dicuntur] Hoc quoque depravatum ex Græco εἰνατέρες. fortè ex Syriaco אנטורה *observans.* tria ista nomina habemus apud Pollucem: ἥδε τοῦ ἀνδρὸς ἀδελφὴ τῇ ἐμείνῃ γυναικὶ γάλως. ὁδὲ τοῦ γήμαντος ἀδελφὸς δαὴρ. αἱ δὲ ἀδελφοῖς δύο συνοικοῦσαι εἰνατέρες. in Glossis, Ianitrices, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, συνύμφοι.

Quod uno versu idem Homerus significat] Didymus ad locum Homeri qui hîc adfertur : εἰνατέρες καλοῦνται αἱ τῶν ἀδελφῶν γυναῖκες πρὸς ἀλλήλας, οἵη Ἑλένη πρὸς Ἀνδρομάχην. *Ianitrices vocantur duorum fratrum uxores invicem, qualis Helena Andromacha.*

L. Iurisconsultus.

Parentes usque ad tritavum apud Romanos proprio vocabulo nominantur : ulteriores qui non habent speciale nomen majores appellantur. item liberi usque ad trinepotem. ultra hos posteriores vocantur] Servius ad VIII Æneidos : *Minores non dicimus, nisi cùm graduum deficit nomen, ut puta: filius, nepos, prone-*

pos, abnepos: ubi isti gradus defecerint, meritò jam dicimus minores. sicut etiam majores dicimus, post patris, avi, proavi, abavi, atavique vocabulum.

Sunt & ex lateribus cognati] Quæ est συγένεια εἰς πλάτος: altera adscendentium & descendentium, εἰς βάθος Eustathio ξ Odysseæ. Is de cujus cognatione agitur, vocabatur Latinis, ipse: Græcis, ἐγώ: ut ex Glossario discimus. Hunc Græci Iurisconsulti ὑποδεπικὸν vocant.

Sed plerique hos omnes consobrinos vocant] Eosdem sobrinos Tacitus. Aliter distinguit ad Hecyram Donatus: *Sobrini sunt ex duabus sororibus: consobrini ex fratre & sorore, quum de fratre natus est alter, & alter de sorore, consobrini: quum ex fratribus patrueles dicuntur.*

AD SC. TERTYLLIANVM, ET Orphitianum.

Quod in Plinii Panegyrico legimus ad Trajanum de Nerva: *Igitur pater tuus sanxit, ut quod ex matre ad liberos, ex liberorum bonis perveniisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, quum civitatem adipiscerentur, ejus vigesimam ne darent*, ad successiones ex testamento pertinet, nisi quod etiam ad successiones eas referri potest, quę ab intestato matribus post Claudii tempora deferebantur. Vide institutiones. Orphitianum valuit à Marci temporibus.

DE DAMNO INFECTO, ET DE suggrundis & protectionibus.

Plinius libro XXXVII. 2. de marmoribus Scauri: *Satisdari sibi damni infecti egit redemtor cloacarum, cùm in palatium extraherentur.*

L. Si finita.

Non autem statim ubi misit Prætor in possessionem, etiam possidere jubet] Et hoc est de quo Sextum Nevium accusabat Cicero, oratione pro P. Quintio.

DE

752607

DE AQVA, ET AQVÆ PLVVIÆ arcendæ.

Hujus generis fuit actio Calliclis, contra Tisiæ filium, quem defendit Demosthenes. defensio hæc est, licere in suo agro fossas habére, si lex agro non sit dicta, ut dicitur hîc in L. 1. §. denique.

DE PVBLICANIS.

Pentasphærum] Vide an sit pentapetum. Nam πεντάπετον, scribit Theophrastus IX. 14: Nicander, πενταπέτηλον, Dioscorides, πενταφύλλον. At Salmasius catasphærum vult legi, & interpretatur σφαιροειδὲς, accipitque pro malabathræ folio, ad Solinum p. 1072.

Cassia turriana] Cassia surinx corrigit idem Salmasius p. 1055.

Pelles Babylonicæ] Lyncium, ut existimat nobilissimus Busbequius epistola III.

Chelinia hopia, indica] Dubitat Salmasius legendum, *Chelone*, an *Chelonia Æthiopa*, *vel Indica*, p. 1189.

DE DONATIONIBVS.

L. 1.

Et propter nullam aliam causam facit, quàm ut liberalitatem, & munificentiam exerceat] Δωρεὰ δόσις ἀνταπόδοτος. Aristoteles Topicorum III. 2. idem alibi negotia quæ inter homines intercedunt refert ad δόσιν, & πρᾶσιν: benè: nam & opera gratis præstita, δόσιν redolet: & operæ aut usus conductio πρᾶσιν.

L. Lucius Titius.

Quamdiu volueris] Optimè Faber vult legi, *voluero*. Vide quæ diximus libro III. de jure Belli XXI. 21.

DE MORTIS CAVSA DONATIONIbus & capionibus.

Tantum cepisse intelligendus est, quanti is homo venire potuisset] L. si quis uxori. §. si statu liber, D. de furtis.

DE MANVMISSIS VINDICTA.

Putant quidam à Vindicio tractum hoc vindictæ nomen, quod nec Livius omisit. sed ea συμπτωσις, est potius, quàm originatio. Vindicat is qui vim sibi dicit fieri: inde vindiciæ. ita prætor cùm ipsi datus esset servus manumittendi causa, vim fieri dicebat, si quis eum non pro libero haberet. Probat id imposita fistuca. Plutarchus de sera numinis vindicta: Ρωμαῖοι ὃς ἂν εἰς ἐλευθερίαν ἀφιῶσι, κάρφος αὐτῶν λεπτὸν ἐπιβάλλουσι τοῖς σώμασι. *Romani quos liberos emittunt, eorum corpori imponunt tenuem fistucam.* Sicut autem communicari solent nomina inter signa & rem signatam, ita ipsa fistuca dici cœpta vindicta. Scholiastes ad illud Horatii:

Quem ter vindicta, quaterque
Imposita, haud unquam misera formidine privet.

Vindicta virga prætoris, qua percutiebantur servi, dum liberi fiebant, manumittebanturque, capiti imposita. Tribus namque rebus manumissio, vindicta, censu, testamento. Quæ tria habes in Topicis Ciceronis. Similiter Persii Scholiastes ad illud:

Vindicta postquam meus à Prætore recessi.

Vindicta virga est, qua manumittendi à Prætore in capite pulsantur, ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Pari ratione vindiciæ dictæ, quæ ex fundo sumtæ, in jus allatæ erant, Festus ex Cincio.

DE STATVLIBERIS.

Festus: *Statuliber est, qui testamento certa conditione proposita jubetur esse liber; & si per heredem est,*

quo

752607

quo minus statu liber præstare possit, quod præstare debet, nihilominus, liber esse videtur.

L. Statu liber.

Quoniam lex XII. *tabularum emtionis verbo, omnem alienationem complexa videretur*] Non mirum; nam & antiquis emere erat sumere, ut Festus nos docet: unde adimo, demo, præmium. adde quæ diximus suprà ad tit. de donationibus.

QVI ET A QVIBVS MANVMISSI LIBERI NON fiant, & ad legem Æliam Sentiam.

L. Prospexit.

Quod quidem perquam dura est, sed ita lex scripta est] Id est verba, illa *omnes, omnimodo*, exceptionem non admittunt. judicandum ex legibus. c. XXIII. Novella LXXXII. non de legibus. non permittunt leges judicem se esse φιλανθρωποτερον, ut ait Lysias contra Alcibiadem. dura hæc lex, sed multò durius S c. Syllanianum. ubi tales sunt leges, tutissimum, si fieri possit, à judicandi munere se abstinere.

DE IVRE AVREORVM ANNVLORVM.

Ius ingenuitatis dicitur jus aureorum annulorum, quia aureos annulos non habebant, nisi equites. jus annulorum cum millibus quadringentis, ait in Iulio Cæsare Suetonius. Tacitus historiarum I. *Nec minor gratia Iulio Galbæ liberto, quem annulis donatum, equestri nomine Martianum vocitabant.* Idem historiarum II. Asiaticum Vitellii libertum ait donatum annulis, quod antea dixerat equestri dignitate. & historiarum IV. servum Virginii Capitonis patibulo affixum, in iisdem annulis, quos acceptos à Vitellio gestabat. quia verò equites ex censu fiebant, ideo Arnobius libro IV. pecuniam ait donare annulos aureos.

Plinius Major XXXIII. 11. ex historia cladis Cannensis ostendit annulos aureos non nisi equitum fuisse: addit verò: *Passim ad ornamenta annulorum etiam servitute liberati transiliunt.* Libertinus apud Arrianum: ἢν δακτυλίους λάβω, *si annulos accepero.* Vbi semper subaudiendi aurei. ostendit id Papinius:

Lavaque ignobile ferrum
Exuit.

Servi autem Romani annulos nullos habebant, ut ex Atejo Capitone nos docet Macrobius Saturnalium VII. 13. Eo alludit Martialis:

Has cum gemina compede dedicat catenas,
Saturne, tibi Zoilus, annulos priores.

DE LIBERALI CAVSA.

De testationibus in causa liberali, vide vitam M. Antonini Philosophi.

L. *Qui de libertate.*

Exauctoratus, id est militia remotus] Cum ignominia scilicet, ut nomen illud sumitur. L. proditores. D. de re militari. In L. quod ait. D. de his qui notantur infamiâ: *Sed etsi eum exauctoraverit, id est, insignia militaria detraxerit, inter infames effecit.* Exemplum est apud Lampridium Alexandro. reperitur alioqui vox exauctorandi etiam in leniore significatu apud Livium & Tacitum.

DE ACQVIRENDO RERVM DOMINIO.

L. *Adeo.*

Si scit alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiæ intelligitur: itaque neque diruto ædificio vindicatio ei materiæ competit] Nempe si donandi fuerit animus. L. si interiorem, C. de rei vindicatione.

Interdum etiam sine traditione nuda voluntas domini

752607

mini sufficit ad rem transferendam] Vide quæ hac de re diximus libro II. de jure Belli ac Pacis VI. I. VIII. 25.

L. Per hereditarium.

Et maximè ipsa hereditas] Est enim ipse pars ejus quod materiale est in hereditate. inst. de reb. corpor.

L. Traditio.

Placet per liberam personam omnium rerum possessionem quæri posse, & per hanc dominium] Vide quæ hac de re diximus libro III. de jure Belli ac Pacis VI. 7.

L. Sed si.

In quibus propria qualitas spectaretur] Quæ ex forma, non ex materia censentur: qualia fere sunt omnia artificum opera.

L. Pomponius.

Cùm effugerunt bestiæ nostram persecutionem] Pari de causa mel ex urceo diffusum, perire domino ajunt Hebræi. ita Maimonides titulo Abeda.

L. In laqueum.

In laqueum, quem venandi causa posueras, aper incidit] Hoc casu feram fieri ejus cujus est laqueus, etiam in alieno solo, censent Hebræi. Maimondes titulo Zahia VVemithna.

L. Si is qui.

Thesaurus donum fortunæ creditur] In Notis F.H. IV. *fortunam hic invenies.* donum Dei dicitur apud Philostratum in Apollonio II. 15.

L. Si epistolam.

Littora mari proxima] Qua fluctus eludit. Cicero

in Topicis. Solet alioqui vox littoris & latius sumi, ut apud Virgilium: *Cui littus arandum.* IV. Æneidos: ubi Servius explicat terram mari vicinam.

De ea insula, quæ non ipsa alveo fluminis cohæret, sed virgultis, aut alia qualibet levi materia ita sustinetur in flumine, ut solum ejus non tangat] Exempla attulimus in annotatis ad librum II. de jure Belli ac Pacis VIII. 9.

DE ACQVIRENDA VEL ADMITTENDA POSSESSIONE.

Possessio appellata est, ut & Labeo ait à sedibus, quasi positio] Et hæc allusio est: possidere est ita alicubi sedere, uti loci pos, id est potens sis. itaque primùm de rebus soli dici cœpit, deinde & ad res mobiles transferri.

Qui primi possessionem eorum apprehenderit] Quod fieri attractione, vel elevatione dicunt Hebræi. Baba Kamma 1. 4.

Non est enim corpore & actu necesse apprehendere possessionem, sed etiam oculis] Lege *tactu*, ut constent inter se membra oppositionis.

L. Possideri.

Sed etsi animo solo possideas, sive alius in fundo sit, adhuc tamen possides] Augustinus: *Quod videtur possidere, ut jurisperiti loquuntur, jure non corpore.* Cassiodorus: *In jure siquidem civili possessio animi, possessione naturali, id est, incubatione corporali præstantior est: nec enim ita facile amittitur, & per ipsam rei dominium usucapiendo acquiritur.*

Item feras, bestias, quas vivariis incluserimus] Procopius Gothicorum 1. de loco extra portam Romæ Prænestinam: ὅπως λέοντάς τε ἅμα καὶ θηρία καθείρξαντες ἐνταῦθα τηρῶεν. διὸ δὴ καὶ βιβάριον τὸ χωρίον ὠνόμασται. ἔτι γὰρ Ῥωμαῖοι καλοῦσι τὴν χώραν· ἔνθα δὴ τῶν ζώων τὰ μὲν χθές ἤδη τρέφειν εἴωθεν. Vt leones feras q; alias ibi inclusas servarent. unde

& vi-

752607

& vivarium dictum est: ita enim Romani appellant loca, in quibus aluntur animantium immansueta. Aprorum cæterorumque silvestrium dixit Plinius VIII. 52. idem, ut & Iuvenalis pro piscina usurpavit, & mansit vox eo sensu in usu vulgi.

Aves autem possidemus, quas inclusas habemus] Sic & Maimonides dicto jam loco,

L. Qui universas.

Retinere enim animo possessionem possumus, at apisci non possumus] Ita legendum, pro quo male quidam codices *aspici*: alii *adipisci*. frequens vox apud Lucretium. etiam ex Lucilio & Sisenna eam producit Nonius.

DE VSVRPATIONIBVS, & usucapionibus.

Vsurpatio contraria est usucapioni. Sic usurpata mulier, quæ trinoctium à viro abfuisset, id est, impedita ejus usucapio. Gellius III. 2. Sic usurpandi juris apud Tacitum. Hist. IV. id est conservandi.

L. Usucapionem.

Usucapionem recipiunt maximè res corporales] Ita quidem ut Iurisconsulti Senecæ temporibus negarent hereditatem usucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt. de beneficiis VI. 5. de tutela legitima nihil posse usucapi ait Cicero ad Atticum I. 5.

L. Rerum.

Tria autem genera sunt corporum] Vide quæ dicta à nobis ad librum II. de jure Belli ac Pacis IX. 3. & ad Instit. de rer. divisione.

L. Quam rem ipse.

Abolita est enim quorundam veterum sententia, existimantium, etiam fundi locive furtum fieri] In hic

fuit Sabinus libro cui titulus, de furtis. Gellius XI. 18. Vide & Plinium historiæ naturalis III. 68.

L. Pro soluto.

Ponendus hic novus titulus : PRO SOLVTO.

PRO EMTORE.

L. Pro emtore.

Ut hic plus sit in re, quàm in existimatione] Legendum, *Ut hic plus quàm in re, sit in existimatione.* Nimirum bona fides, tantundem possidenti præstat, quantum veritas. L. bona fides. D. de R. I. Sunt quidem in jure quædam distortè, aut κατ' ἀντιφρασιν dicta, sed recepta hîc lectio, plane contrarium proposito diceret.

DE RE IVDICATA, ET DE Effectu sententiarum, & de interlocutionibus.

Quanquam judices, homines cùm sint, & affectibus in transversum agi, & per ignorantiam falli possunt, ut ii qui Socratem damnarunt, & qui Rutilium, quorum hos causam dicturos omnibus sæculis, dicit Seneca de providentia III. & in damnatione ejus majorem fuisse pœnam reipublicæ quàm Rutilii, Cicero ad Pisonem: Tamen ut finis sit litium, res judicata, modò legum solennia observata sint, vim veri habere debet. Valet enim, ut Aristoteles ait, πολιτικῶς & πρὸς τὴν χρῆσιν: civiliter & ad publicam utilitatem: ac sæpe locum hic habet illud Sophoclis :

Τό τοι νομισθὲν τ' ἀληθείας κρατεῖ.

Quod Plato sic extulit : τὸ δοκεῖν & τὴν ἀλήθειαν βιάζεται. *Videri aliquid, verum vincit.* Antipho φόνος δίκη μὴ ὀρθῶς κριθεῖσα ἰσχυροτέρα τοῦ δικαίου & τῆς ἀληθοῦς ἐστι. *De cæde judicium, etiam non rectè peractum, plus valet justo ac vero.* Status enim reipublicæ

752607

blicæ maximè rebus judicatis continetur, ut ait Cicero pro P. Sulla. Lex Attica erat. Δὶς περὶ αὐτῶν ὑπὲρ τῶν αὐτῶν ἔστε δίκας, ἔστε βλάβας, ἔστε διαδικασίας, ἔστ' ἄλλο τι τοιοῦτον ἐξῆν ἦ. *Adversus eundem de rebus iisdem neque judicium sit, neque animadversio, neque actio, neque aliud quicquam tale.* Ex qua lege sunt illa in Phormione qui Græcè ὅτι δικαζόμην.

Mihi non videtur, quod sit factum legibus,
Rescindi posse, & turpe inceptum est.

Item:

At tu, qui sapiens es magistratus, adi,
Iudicium de eadem re iterum ut reddant tibi,
Quandoquidem solus regnas, & soli licet
Hic de eadem causa bis judicium adipiscier.

Agit de hac re Andocides contra Alcibiadem. Hermogenes titulo περὶ παραγραφῆς. Symmachus x. 51. *In negotiis tempore ac judicatione finitis, cessare æquum est longæ orationis excursum.* Philippus Macedo cùm malè judicasset, Iudicium non rescidit, sed æstimationem persolvit, quod & à Tiberio factum aliquando legimus. Habet tamen hæc regula suas ex populorum legibus exceptiones. Nam Spartæ reus, quamvis absolutus, manebat ὑπόδικος, id est, in judicium repeti poterat: apud Hebræos verò, etiam post sententiam pronuntiatam, licebat cuivis adferre pro reo, quæ ad absolvendum eum, aut pœnam minuendam valere poterant, & judices corrigere tale judicatum poterant. Quod Quintilianus proponit VII. cap. 7. *Solet illud quæri quo referatur quod scriptum est, bis de eadem re ne sit actio, id est, hoc, bis ad actorem, non ad actionem:* parata responsio est ad utrumque referendum, ut idem sit actor, eademque causa. L. si quis, D. de except. rei judicatæ. L. cùm quæritur, cum legibus sequentibus, D. ibidem.

L. Iudex.

Et hoc jure utimur, ut judex qui semel, vel pluris, vel minoris condemnavit, amplius corrigere sententiam suam non possit] Chrysostomus de statuis tertia: τὸ προενεχθῆναι τὴν ψῆφον εἰς μέσον κυρίαν ποιεῖ τὴν ψῆφον γνώμην. *Sententia publica pronuntiatio efficit, ut ea plenam vim habeat.*

L. Sape constitutum est.

Item si ex duobus petitoribus] Vox *petitoris* hic κατὰ δύναμιν, non κατ' ἐνέργειαν, intelligenda, ut significet eos quibus petendi jus erat.

De Confessis.

Qui confessum defendit, non absolutionem sceleris petit, sed licentiam, ait Quintilianus Declamatione XIII. earum quæ institutionibus subjunguntur. Ovidius de Ponto II. 2.

Non est confessi causa tuenda rei.

Demosthenes in Timocratem: ὥσπερ τοίνυν τῶν ἄλλα κακούργων τοὺς ὁμολογουμένους ἄνευ κρίσεως κολάζειν οἱ νόμοι κελεύουσιν, οὕτω δίκαιον ἐστὶ τοῦτον ἐπειδὴ τοὺς νόμους κακουργῶν εἴληφεν μὴ δόντας λόγον, μηδ' ἐθελήσαντας ἀκοῦσαι καταψηφίζεσθαι. *Sicut ergo facinorum aliorum confessos sine judicio puniri leges volunt, ita justum est, & hunc qui manifestus est leges violasse, damnari, ratione reddita, nec audita.* Et hæc quidem ad confessiones sponte factas pertinent. Nam illis quæ per tormenta, quàm periculosum sit indiscretè credere, ostendit insignis historia apud Philostratum, in vita Apollonii v. 8. & alia apud Ammianum libro XXV. & XV, Notum illud Mimi:

Sape innocentem cogit mentiri dolor.

Quintilianus v. 3. *Aliis patentia facile mendacium fuit, aliis infirmitas necessarium.* Itaque Vlpianus, l. 1. de quæstionibus, ait esse rem fragilem ac periculo-

752607

riculosam, & quæ veritatem fallat. nam plerosque patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemnere, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alios tanta esse impatientia, ut quævis mentiri, quàm pati tormenta malint. Vtrumque verum esse agnoscit Imperator Fredericus libro I. Const. Neap. tit. XXVII. Curtius de Philota: *Verone, an mendacio liberare se à cruciatu voluerit, anceps conjectura est: quoniam & vera confessis, & falsa dicentibus idem doloris finis ostenditur.*

DE CESSIONE BONORVM.

Locutio est Græca, Ἐξίστασθαι τῆς οὐσίας, quatitur Demosthenes adversus Pantænetum, & pro Phormione. Eadem locutio in Græco, Novella IV.

DE REBVS AVCTORITATE IVDICIS possidendis, seu vendendis.

Si servus sub conditione heres institutus sit] Benè proposuit hanc quæstionem: quia si nihil aliud obstaret, in sectione erant & servi. ut ait ad Iuvenalem Scholiastes.

L. Cùm bona.

Hic ponendus novus titulus: de PRIVILEGIO CREDITORVM. id προτιμήσεις vocat Plinius X. epist. 108. Trajanus interpretatur privilegium, quo cæteris creditoribus anteferantur. benè: nam προέχειν Græcis inter alia est exigere.

L. Antiochensium.

Quod lege sua privilegium in bonis defuncti accepit] Idem jus habebant Bithyniæ & Ponticæ civitates, ut ex dictis epistolis animadvertimus: nempe ex lege gentis suæ, quam Romani, cùm

eas gentes in fidem suam recepêre, integras reliquerunt. Vide quæ diximus libro III. de jure Belli XV. 9. & 10. Leges Romanas non recepêre gentes istæ, nisi post ea tempora, & magno pretio concessæ civitatis, & ne tunc quidem sine quibusdam exceptionibus.

DE SEPARATIONIBVS.

L. Si creditores.

Quidam putant] Papinianus, suprà, L. debitor in fine.

NE QVID IN LOCO PVBLICO, vel itinere fiat.

Interdictum hoc Romæ neglectum diu, restituit Domitianus, unde Martialis materiam captavit ejus laudandi:

Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos,
Et modò quæ fuerat, semita, facta via est.

L. Prætor ait.

Has quoque publicas esse quidam dicunt] Et ipse dixit Vlpianus alio libro, ut videre est suprà: L. ultima, D. de locis & itineribus. De viis ejusmodi loquitur lex Baiwararica IX. 14. Capitulare V. 202. lex Burgundica XXVII. 3.

DE VIA PVBLICA ET ITINERE publico reficiendo.

Ad vias rusticas hoc interdictum pertinet.

DE FLVMINE PVBLICO, NE QVID in flumine publico, ripave ejus fiat quo pejus navigetur.

Vtilissimum interdictum, cujus sensum habes apud Cassiodorum V. 17. *Illud etiam magnopere credi-*

752607

credidimus amputandum, quod vestra fieri suggestione comperimus, ne quis in fluminibus navigans, diversis territoriis meantibus, id est, in Mincio, Olleo, Auxero, Arno, Tiberi, audeat fluminum alveos piscandi studio turpissimo sæpe concludere: & quæ sunt præsumpta, protinus auferantur. Pateat amnis in navium cursus: sufficiat humano desiderio consuetis artibus delicias quærere, non artificio rustico libertatem fluminis impedire: ne, quod dici nefas est, utilitati publicæ voluptas privata obstitisse videatur. Adde quæ infrà, titulo: *Ut in flumine publico navigare liceat.* Huc etiam illud pertinet edictum antiquum, quod servavit nobis Gellius XI. 17. *Qui flumina retanda publicè redemta habent, si quis eorum ad me adductus fuerit, qui dicatur quod eum ea lege locationis facere oportuerit, non feciſſe.* Vbi ex Gavio dicit retas esse arbores, quæ aut ex ripis fluminum eminerent, aut in alveis eorum exstarent, appellatasque à retibus, quod prætereuntes naves impedirent, & quasi irretirent: ideoque retanda flumina locari solita esse, id est, purganda, ne quid aut moræ, aut periculi navibus in ea virgulta incidentibus, fieret. Locare opus frequens, sed impropria locutio est. Propriè enim opera ad opus faciendum conducitur: idque dicitur opus locare faciendum.

DE VI ET DE VI ARMATA.

Multa de hoc edicto habes in oratione Ciceronis pro A. Cæcina. Alludit huc idem Cicero ad Cassium scribens XV. 16. *Si enim stomachabere & molestè feres, plura dicemus, postulabimusque, ex qua hæresi vi hominibus armatis dejectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, in hoc anno. quare si jam biennium, aut triennium est, quod virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis, in integro res nobis erit.* Cassius fuerat Platonicus, factus erat Epicureus. Cicero qui cum Epicu-

Epicureis jocari amat, ait, eum restitui posse: quia in re sectarum illa adjectio, quæ est in hoc interdicto, tantummodo intra annum, locum non habet. semper enim à voluptate (quam Epicurei commendant) deceptis patere reditum ad virtutem. Edictum Theodorici 76. *Illi res occupata per violentiam intra annum momenti jure salva proprietatis causa redduntur, qui eandem rem, quam alterius præsumtione perdidit, nec violenter, nec abscondite, nec precario possidet.* Quæstio ex hoc interdicto dicitur momenti consideratio, ut apud Cassiodorum IV. 44. & libro VIII. 28. *Momenti jure, si competit, primitus reddantur invasa.* Isidorus V. 25. *Momentum dictum à temporis brevitate, ut tam citò, quàm statim, salvo negotio reformetur, nec in ullam moram reduci debeat, quod repetitur: sicut nec ullum spatium est momenti, cujus tam brevis est temporis punctum, ut in aliquam moram nullo modo producatur.* Momenti reformatio est apud Symmachum X. 41. Causam momenti dixit Magnus Gregorius libro I. epist. 100. Momentum pari sensu habemus, L. cùm in præterito, Cod. Theod. ad L. Corneliam de falso. Reformationis vocem in hoc causarum genere usurpat Symmachus I. 68. III. 53. VI. 11. X. 46. Eadem celeris reformatio. L. si coloni. C. de agricolis & censitis libro 11. Donatus ad Eunuchum IV. 6. *Violento civiliter resisti solet.* Reformata possessio Edicto Theodorici X.

L. I.

Nec alius dejici visus est, quàm qui possidet] Lege: *possedit.*

Mox revertens prohibitus sit ingredi] Sic Ebutius Cæcinæ, ne in fundum quem possidebat accederet, obstitit. defendit Cicero huic interdicto locum esse, quia vis sit, quæ periculo, aut decedere nos alicunde cogit, aut prohibet accedere. Vide orationem ipsam.

Qui

752607

Qui vi dejectus est, quicquid damni senserit] Convenit cum Hebræorum dictis: Baba Kamma x. 5. Id tamen nolunt referri ad damna cæteroquin eventura.

Non alii autem quàm ei qui possidet, interdictum unde vi competere] Legendum *possedit*, atque id olim annotavi suggerente Baudio.

VTI POSSIDETIS.

L. 1.

Nec vi, nec clam, nec precario] Donatus ad Eunuchum II. 3. *Secundum jus locutus est: nam his tribus mala fide aliquid possidetur, vi, clam, precario.*

DE RIVIS.

L. 1.

Ad continendam transmittendamque aquam] Scholiastes ad illud Horatii:

Addit opus pigro rivus, si decidit imber,
Multa mole docendus aprico parcere prato.

Si rivus negligenter antè fuerat munitus, tibi pigro novum addit opus.

QVOD VI AVT CLAM.

Tertullianus præscriptionibus adversus hæreticos: *Mea est possessio: olim possideo, prior possideo. habeo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res.* Vide quæ ad Institutiones de interdictis notavimus.

DE PRECARIO.

Tertullianus adversus Hermogenem: *Aliena sumuntur jure, beneficio, impetu, id est, dominio, precario, vi.* Horatius: *Nunc prece, nunc pretio.* Adde Donatum ad Eunuchum II. 3.

DE

DE ARBORIBVS CÆDENDIS.

Sunt arbores, quæ soliditati aquæductuum nocent. eas recidi imperat Theodoricus Ostrogothus, apud Cassiodorum v. 38.

DE LIBERIS EXHIBENDIS, ITEM ducendis.

Seneca Pater controversiarum VIII. 6. *Vult pauper educere puellam ad magistratus.*

DE EXCEPTIONIBVS, PRÆSCRIptionibus, & præjudiciis.

Exceptio vox est Latina. præscriptio idem significat formata ad Græcum, παραγραφὴ, cujus vis erat, μὴ εἰσαγώγιμον εἶ τὴν δίκην, ne daretur actio.

DE EXCEPTIONE REI IVDICATÆ.

Dici in hac causa solebat: *Actum ne agas.* Terentius Phormione, & ibi Donatus. Idem Donatus in Adelphis II. 2. *Actum agam. proverbium, id est, nihil agam, quod enim in jure semel judicatum fuerit, rescindi & iterum agi non potest.* Vide quæ dicta suprà de re judicata.

DE DIVERSIS TEMPORALIBVS præscriptionibus, & de accessionibus possessionum.

Tempus oblivionis est causa: & ex tempore derelictio præsumitur, ut diximus II. de jure Belli ac Pacis IV. Aristoteles IV. Physicorum 13. ἐν ᾧ τῷ χρόνῳ πάντα γίνεται, καὶ φθείρεται· διὸ καὶ οἱ μὲν σοφώτατον ἔλεγον· ὁ δὲ Πυθαγόρειος Πάρος ἀμαθέστατον, ὅτι ἐν ὁπλανθάνονται, ἐν τούτῳ λέγων ὀρθότερον. *In tempore fiunt omnia, ac pereunt: unde quidam tempus rem sapientissimam dixêre: At Paro Pythagoreus, stolidissimam, quia tempore cuncta in obli-*

752607

in oblivionem veniunt, in quo dixit rectius. Demosthenus in præscriptione pro Phormione. Καὶ τοι πᾶσι μὲν τοῖς νόμοις πρόσεχθν εἰκὸς εἶναι ὑμᾶς· ἧκιστα δὲ τούτῳ ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι. δοκεῖ γάρ μοι ὁ Σόλων ἀδένος ἄλλου ἕνεκα θεῖναι αὐτὸν, ἢ τοῦ μὴ συκοφαντεῖσθαι ὑμᾶς. τοῖς μὲν γὰρ ἀδικουμένοις ἱκανὰ τὰ πέντε ἔτη ἡγήσατο εἶναι εἰσπράξασθαι. κατὰ δὲ τῶν ψευδομένων τὸν νόμον ἐνόμισε συμφέρειν ἔλεγχον ἔσεσθαι. καὶ ἅμα ἐπειδὴ ἀδύνατον ἔγνω ὄν τοὺς τε συμβάλλοντας, καὶ τοὺς μάρτυρας ἀεὶ ζῆν, τὸν νόμον ἀντὶ τούτων ἔθηκεν, ὅπως μάρτυρ εἴη τοῖς δικαίοις τοῖς εἰρημένοις. *Omnibus quidem legibus parêre vos æquum est, Athenienses, huic verò maximè. Videtur enim mihi Solon non alia de causa eam posuisse, quàm ne vos per lites vexaremini. Putavit enim passis injuriam sufficere ad agendum annos quinque. adversus mendaces verò existimavit, legem ipsam fore indicem optimam; præterea verò cum sciret fieri non posse, ut semper viverent, aut qui contraxissent, aut qui contractui testes adfuissent, pro his ipsam legem substituit, ut testis esset de conventis.* Similia habet in præscriptione adversus Nausimachum.

De Doli mali ac Metvs Exceptione.

Plautus Rudente: *Ni dolo malo instipulatus sis.* Vide suprà, de dolo malo.

De Obligationibvs Et Actionibus.

L. Obligationum.

Sed etiam hoc animo dari & accipi ut obligatio constituatur] Vide 11. de jure Belli ac Pacis XII. 2.

L. Non figura.

Non figura literarum, sed oratione quam exprimunt litteræ, obligamur] Aristoteles initio de interpre-

terpretatione : Ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα. καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ· ὡς ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτὰ, οὕτως οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί· ὧν μέν, ταῦτα σημεῖα πρώτως, τὰ αὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς. *Sunt igitur voces signa mentis sensorum, & scripta vocum. Ac sicut litera non omnibus eadem, ita nec voces. mentis autem sensa, quorum illa propriè signa sunt, eadem omnibus.*

L. Arrianus.

Vbi de obligatione quæritur, propensiores esse debere nos, si habemus occasionem ad negandum : ubi de liberando ex diverso, ut facilior sis ad liberationem] Non longè abit. id quod est in Baba Kamma x. 7.

DE VERBORVM OBLIGATIONIBUS.

L. Inter stipulantem.

Alius pro alio promittens, daturum facturumve eum, non obligatur] Ob id Vulcanus non curat Odysseæ IX. promissum Neptuni de facto Martis, donec adjecit, si is non præstet, se præstiturum.

Non simplex abnutivum spondet] Sic ἀποφατικὸν etiam Apulejus vertit, abdicativum Capella.

DE STIPVLATIONE SERVORVM.

L. Servus meus.

Negat furti deberi Sabinus] Lege *furi*. Et mox, *sed furi, nec mandati.*

DE SOLVTIONIBVS ET LIBERATIONIBUS.

Donatus ad Phormionem : *Tribus modis debitum solvitur : pensione, spectatione, numero.* Solutionis vis est debitorem liberare. Arianus Dissertationum

752607

num Epicteti I. 7. ἐν ἀρχεῖ τὸ δανείσασθαι πρὸς τὸ ἐπιὀφείλειν, ἀλλὰ δεῖ προσεῖναι, καὶ τὸ ὁπηλύειν ὅπῃ τῇ δανείᾳ, καὶ μὴ διαλῦσθαι αὐτό. *Non satis est mutuam dedisse pecuniam, ut debeatur: sed oportet ut maneat mutuum, neque dissolutum sit.*

L. Verò.

Cujus stipulationi nomen incertum est] Edi debet, *insertum est.*

L. Quod dicimus.

Debere statim solvere] *Protinus* per *statim* exponit Nonius. in Glossario *statim* αὐθέως, παραχρῆμα.

Nec enim cum sacco adesse debet] Saccum intelligit in quo privata pecunia condebatur, ut notat Asconius in secundam Verrinam. Catullus:

Sed tuo Catullo
Plenus sacculus est aranearum.

Martialis:

Nescit sacculus ista meus.

DE PRIVATIS DELICTIS.

L. I.

Heredem autem furti agere posse æquè constat] Fuit id olim juris controversi, verum hæc sententia prævaluit. Cicero Epistolarum ad familiares VII. 22.

DE FVRTIS.

Capitale crimen apud majores furtum fuit ante pœnam quadrupli. Ita Servius ad Æneid. VIII. Apud Græcos morte puniebantur furta in balneis, palæstris, foris. Arist. Probl. XXIX. 14. Fit autem furtum etiam in servo celato. Plautus Pœnulo III. 4. Apud Hebræos qui furem norat, deferre eum tenebatur. Prov. XXIX. 24.

SI FAMILIA FVRTVM FECISSE dicatur.

Si dominus per servum suum quodcunque sibi petierit commodandum, & servus cum rebus commodatis in fugam fuerit elapsus, tunc dominus obligatur ut commodata restituat. Si verò servus petîsse dominum mentiatur, & sic quasi deportanda ad dominum susceperit, & quæ susceperit, aut everterit, aut perdiderit, & fugitivus non potuerit inveniri; Dominus servi præbeat sacramentum se eundem servum, ut susciperet, non misisse; & cùm id peteret, ignorasse, & nihil calumniæ pertimescat. Servum tamen tam dominus, quàm ille qui commodavit, quærere sollicitè procurabunt. Hæc eadem & de commendatis præcipimus custodire. Hæc ita constituit lex VVisigotthorum v. lib. v. 7.

ARBORVM FVRTIM CÆDENdarum.

Capitale fuisse supplicium arbores alienas incidere ait Servius ad illud Virgilii:

Atque mala vites incidere falce novellas.

Plinius Historiæ Naturalis XVIII. I. *Fuit & arborum cura legibus priscis, cautumque est* XII. *tabulis, ut qui injuriâ cæcidisset alienas, lueret in singulas æris* XXV.

VI BONORVM RAPTORVM, ET de turba.

L. Prætor ait,

Hæc actio heredi cæterisque successoribus dabitur] Baba Kamma IX. 9.

An tamen in id quo locupletiores facti sunt, dari debeat, videamus: & ego puto ideo prætorem non esse pollicitum in heredes, id quod ad eos pervenit: quia putavit sufficere condictionem] Baba Kamma X. 10.

DE

752607

DE INCENDIO, RVINA, NAVFRAGIO, rate, nave expugnata.

L. Quo naufragio.

Ex naufragio clavos, vel unum ex his abstulerit] Id est, gubernaculorum alterum. Solebant enim ad utrumque latus esse gubernacula: ut in Arateis ostendimus, & dicemus ad Act. XXVII.40.

L. Qui ades.

Qui ades, acervumve frumenti, juxta domum positum combusserit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur, si modo sciens prudensque id commiserit: si verò casu, id est negligentia, aut noxiam sarcire jubetur] Idem habet Baba Kamma VI. 5.

L. Vltima.

Licere unicuique naufragium suum impunè colligere constat] Simile habes, L. 1. & L. Divus, suprà de fugitivis.

DE INIVRIIS ET FAMOSIS LIBELLIS.

Solon injuriarum publicum voluit esse judicium, id est, quemvis admitti accusatorem, quod in uno cive quasi omnium contemnatur libertas: quo & illud pertinet Menandri:

Εἴ γάρ τὸν ἀδικουῦντ' ἀσμύχως ἠμύνετο
Ἕκαστος ἡμῶν, ἐσυνηγωνίσατο,
Ἵπως νομίζων ἴδιον εἶ τὸ γεγονὸς
Ἀδίκημα, σωφρονέστερον ἀλλήλοις πλέον,
Οὐκ ἂν ὄπλειον τὸ κακὸν ἡμῖν ἤρξατο
Τὸ τῆς πονηρῶν, ἀλλὰ παρατηρούμενοι
Καὶ τυγχάνοντες ἂς ἔδει τιμωρίας
Ἦτοι σπάνιοι σφόδρ' ἂν ἦσαν, ἢ πεπαυμένοι.

Quæ nos ita versa pridem edidimus:

Injuriarum si improbis auctoribus
Reponeremus ultionem singuli

Nobis

Nobis putantes fieri, quod fit alteri,
Inter nos junctì conspiratis viribus,
Non prævaleret innocentiæ impetus
Audax malorum, qui custoditi undique,
Aut nulli penitus essent, aut pauci admodum.

L. Prator edixit.

Vt cùm Magistratui] Qui enim Magistratum spernit, civitatem spernit, ut aît Aristoteles. Martialis VI. 5.

Quisquis stolæve, purpuræve contemtor,
Quos colere debet, læsit impio versu,
Erret per urbem pontis exsul & clivi.

Arnobius libro II. *Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris obmurmuraverint aliquid legibus: Magistratus in ordinem redigere, Senatorem aut convitio persequi, suis esse decretis periculosissimum pœnis. Carmen malum conscribere quo fama alterius coinquietur, & vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impunè: ac ne vestras aures convitio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis.*

Vide quæ ad Institutiones diximus, & Horatii ibi adductis locis adjice illum de Arte poëtica:

In vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi.

Nævius in carcerem conjectus est quòd in Metellos scripsisset. Cicero de Republ. IV. *Sed Periclem cùm jam suæ civitati maxima auctoritate plurimos annos domi, & bello præfuisset, violari versibus, & eos agi in scena, non plus decuit, quàm si Plautus noster voluisset, aut Nævius. P. & C. Scipioni, aut Cæcilius, M. Catoni maledicere.* Optima ergo hîc regula est quam sibi præscripsit Martialis:

Parcere personis, dicere de vitiis.

L. Item apud Labeonem.

Si quis pulsatus quidem non est, verum manus ad-

versus

752607

versus eum levata] Etiam Maimonides injuriam hanc quoque esse ait. Vide Baba Kamma VIII. 6.

L. Sed si unius.

Quædam injuriæ à liberis hominibus factæ, levis momenti videntur, enimvero à servis graves sunt] Idem tradit Rabbinus Iacob libro Choschen Mischpat.

Si injuria mihi fiat ab eo cui sum ignotus, aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Cajus Seyus, prævalet quod principale est: injuriam eum mihi facere velle] Sic & Hebræi, ut Maimonides I. Chobel Oumassik. Bonus ergo Rex Archelaus, qui aquâ ab aliquo perfusus, amicis eum ad ultionem instigantibus dixit: Non ille me perfudit, sed eum quem me esse credidit. refert in Apophthegmatis Plutarchus.

DE EXTRAORDINARIIS CRIMINIBUS.

L. In Ægypto.

Chomata etiam & diacopi] Lege *commata:* id verò est incisuras.

DE CONCVSSIONIBVS.

L. II

Denuntiandum, vel non denuntiandum] Lege, *renuntiandum, vel non renuntiandum.* Renuntiat testimonium, qui negat se quicquam scire. L. I. §. sed & si quis, infrà de lege Cornelia, de falsis. Lycurgus oratione contra Leocratem. ἀλλ' ἀκριβῶς ἐπίστασθε ὅτι χρημάτων ἕνεκα, ἢ χάριτος, πολλοὶ ἐπείσθησαν πρὸ μαρτύρων, ἢ μὴ μνημονεῖν, ἢ μὴ ἐλθεῖν, ἢ ἑτέραν φέρεσθαι δίκην. *Certo enim scitis multos testes aut pecunia, aut gratia induci, ut negent se meminisse, aut venire nolint, aut aliquid prætextus quærant.*

DE RECEPTATORIBVS.

L. Eos apud quos.

Eos apud quos adfinis, vel cognatus latro conservatus est] Servius ad illud XII. Æneidos:

Tu pro germano, si quid præsentius, audes,
Perge, decet.

Nam licet germanam, illicita etiam, pro fratris salute tentare.

DE FVRIBVS BALNEARIIS.

Vide Aristotelem Problematum XXIX. quæstione 14. Demosthenes oratione in Timocratem ostendit loca omnia publica à lege custodiri.

STELLIONATVS.

Vbicunque igitur titulus criminis deficit, illic stellionatus objiciemus] Est stellionatus κακοτεχνία Platoni, libro IX. legum, Demostheni adversus Lacritum. Sicut in civilibus actionibus illa de dolo malo, ita in criminibus stellionatus accusatio everriculum est omnis malitiæ. Quintilianus pater parasito raptore candidatæ, posita lege, inscripti maleficii sit actio, de eo ita loquitur. *Diligentissimè majores hanc videntur excogitasse legem, quòd cùm scirent nullam tantam esse prudentiam, nullam immotam certam divinationem, ut omnia quæcunque ingeniis malorum* (ita legendum, non *majorum*) *excogitari unquam potuissent, providentia caventium videret, hac lege omnem malitiam, velut quadam indagine, cinxerunt, ut quicquid aliarum legum effugisset auxilium, quasi extrinsecus circumdaretur.*

DE TERMINO MOTO.

Vetustissima bene moratis gentibus cura, ne termini convellerentur, Iob. XXIV. 1. Deut. XIX. 14.

Plato

752607

Plato de legibus octavo. μὴ κινείσθω γῆς ὅρια μηδεὶς, μήτε οἰκείᾳ πολίτου γείτονος, μήτε ὁμοτίμου γείτονος, ἐπ' ἐρασπὰς κακῇ μηχανῇ ἄλλου ξένου γλίχυνον, νομίσας τὸ τ' ἀκίνητα κινεῖν ἀληθῶς τοῦτο εἶναι. *Nemo terræ terminos moveat, neque popularis vicini, neque externi, si forte in collimitio agrum habeat: credatque id revera esse quod dicitur, movere non movenda.* Scholiastes ad Iuvenalem: *Si egeris contra aliquem quod terminum effoderit.* Adde Collationem legum Mosis, & Romanarum Titulo XIII. & scriptores de agri mensura, & limitibus.

DE COLLEGIIS ET CORPORIBVS.

Ne patiantur esse sodalitia] Quæ Græca voce hetærias Plinius in Epistolis vocat, tum in illa de Christianis Epistola, tum alibi. Vide infrà L. sodales.

Permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre] Id idem Plinius Græca voce dicit eranos habere x. 93. & Trajanus epistola 74.

L. Sodales.

Ἡ ἱερῶν ὀργίων ἢ ναῦται] Lege συμμύσῃ.

Ἡ ὁμόταφοι] Rectè: nam & sepulchrorum inter multos erat communio.

Ἡ διὰ λεῖαν ἐρχόμενοι] Ita libri meliores, & Basilica. Prædatum ire non in hostes tantum, sed & in externos, quibuscum hospitium, fedus, aut amicitia non esset, mos erat multis gentibus, ut notavimus de jure Belli ac Pacis, libro II. cap. XV. 5.

DE PVBLICIS IVDICIIS.

Chrysostomus ad illud, Vino modico utere, de blasphemia loquens. κοινὸν δέ τὸ ἔγκλημα, δημόσιον τὸ ἀδίκημα, ἔξεστιν ἑκάστῳ τῷ βουλομένῳ κατηγορεῖν *Publicum est judicium: crimen ad omnes pertinens: cuivis volenti licet accusare.* In omnibus

quidem judiciis, sed in his maximè libertas danda reis plenissimè semet defendendi. Nam, ut Seneca ait Medea:

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Et inauditi, tanquam innocentes pereunt, ait Tacitus Historiarum 1. Habes eodem facientia apud Lactantium v. 1. Basilii magni Epistola 70. Theodoretum Historia 11. 16. Salvianum libro VIII.

L. 2.

Nam cætera non exsilia, sed relegationes propriè dicuntur] Ovidius.

Ipse relegati, non exsulis utitur in me
Nomine.

L. *Defuncto.*

Defuncto eo qui reus fuit criminis, est pœna exstincta] Dicit hanc sententiam Nicolaus Damascenus apud Iosephum antiquæ historiæ XVI. Symmachus IX. 121. *Cùm crimina morte soleant terminari.* idem X. 48. comminationes principum negat ad heredes porrigi.

DE ACCVSATIONIBVS, ET inscriptionibus.

Generalis regula ne servus accuset. Imperatores tamen exceptiones quasdam admisêre etiam adversus dominos, L. vix certis, D. de Repudiis. At de Tiberio Scholiastes Iuvenalis: *Dederat servis potestatem, ut liceret dominos accusare quibuslibet criminibus.* Etiam vetus Senatusconsultum quæstionem in caput domini prohibens, evertit idem Tiberius mancipando servos actori publico: ita Tacitus Annalium 11. At id Senatusconsultum restituit Tacitus Imperator Vopisco narrante. Nero, cùm adhuc laudabilem principem ageret, reum

752607

reum servo accusante non recepit. ut Taciti Annalium XIII. discimus.

L. Libellorum.

Vtique enim & locus designandus est, in quo adulterium commissum est, & persona cum quâ admissum dicitur] Aristides pro quatuor. φαίη τις ἂν δικανικῶν αἰδρῶν, ὁρθῶς ἐποίησεν ὁ θεὶς τὸν νόμον, ἀξιώσας διαιρεῖσθαι ἐχθὲς πάς τε δίκας & τὰς γραφάς. ἔβλαψέ με ὁ δεῖνα τὸ & τὸ ποιήσας, & τάδε εἰπὼν παρανόμα. κ' ἂν τις ἄλλο κατηγορῇ, τὸν αὐτὸν τρόπον φερέτω, & μὴ τὰ ἀλλαχοῦ φεδόμενος. *Merito hic dixerit jurisperitus aliquis: benè fecit is qui legem constituit, quâ judicia & accusationes institui voluit definitè admodum: utpote ille me hoc vel illo facto læsit: aut talia verba improba elocutus est: ac pari modo rem exprimi in aliis accusationibus, & non vagis verbis quenquam territari.*

DE CVSTODIA ET EXHIBITIONE reorum.

L. I.

An militi tradenda] Vt Paulus Apostolus Act. XXVIII. 16. Symmachus X. 6. *Reos custodia militari dissimulata dignitate circumdedit.* Ex Plinii & Trajani epistolis discimus, nonnullis in locis pro militibus ad reorum custodiam adhibitos fuisse servos publicos.

AD L. IVLIAM MAIESTATIS.

L. Lex duodecim.

Capite puniri] Vsitata sæpe in hoc crimine ignis pœna. Testis Ammianus libro XXI.

L. Qui statuas.

In statuis sperni Imperatorum majestatem ex Artimidoro discimus II. 33. & ex egregiis tot

Chrysostomi orationibus, quæ de statuis vocantur. Laudatur tamen à Themistio Constantinus, qui cùm statuæ ejus vulneratæ dicerentur, Ego, inquit, in facie nullum vulnus habeo.

L. Famosi.

Hoc tamen crimen à judicibus, non in occasionem ob principalis majestatis venerationem habendum est] Vt Tacitus nos docet Annalium 1. *Nomen quidem apud veteres idem: sed alia in judicium veniebant: Si quis proditione exercitum, aut plebem seditionibus, vel male gesta republica majestatem populi Romani minuisset: facta arguebantur, dicta impunè erant.* Sub Augusto adulteria in ejus domum, sub Tiberio probrosa verba in id crimen venêre, vocaturque Tacito omnium accusationum complementũ, vinculum ac necessitas silendi. dicit ejus odio etjam bonas leges perîsse. Plinio in Panegyrico dicitur singulare & unicum crimen eorum qui crimine vacarent. Colorata læsæ crimina Majestatis ait Ammianus, libro XIX. Ideo Trajanus ad Plinium X. 86. *Cùm propositum meum optimè nosses, non ex metu, nec terrore hominum, aut criminibus majestatis reverentiam nomini meo acquiri.* De Imperatoribus Adriano & Pertinace legimus, eos crimen majestatis non admisisse.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLTERIIS coercendis.

Hæc est illa lex Augusti, de qua Horatius:

Nullis polluitur casta domus stupris:
Mos & lex maculosum edomuit nefas:
Laudantur simili prole puerperæ,
Culpam pœna premit comes.

Mentio ejus apud Tacitum aliquoties, & apud Iuvenalem, ejusque Scholiasten. Scholiastes Horatii: *Vetiti vagi concubitus lege maritis lata.* Papinius:

Erigeretque

752607

Erigeretque forum, succinctaque vindice multo
Surgeret, & castum vibraret Iulia fulmen.

Egregie in adulteria invehitur Horatius, cùm dicit:

Fœcunda culpæ sæcula nuptias
Primum inquinavere, & genus & domum:
Hoc fonte derivata clades
In patriam, populumque fluxit.

Germani nullam morum partem sanctius tuebantur, dabaturque eorum moribus marito jus vindicandi in adulteras, teste Tacito. Etiam in adulteros ex lege Frohonis Daniæ Regis. Apud Cumæos adultera asino imposita traducebatur, dicebaturque ὀναβάτης, teste Plutarcho in quæstionibus Græcis. Adulterii severè vindicati à Bonifacio, historiam habes ex Olympiodoro apud Photium. Aurelianus Imperator, militem qui cum hospitis uxore adulterium commiserat, arborum capitibus inflexis deligatum, iisdem dimissis discidit, Vopiscо teste.

L. Ex lege Iulia.

Item in eum qui in adulterio deprehensam retinuerit] Vide legem Neapolitanam III. Tit. XLV. ubi hoc obtinere vult in deprehensa, non in quovis modo suspecta. Septimium Severum Imperatorem accusat Aurelius Victor, quod uxorem cognita libidine retentaret.

Detectus est uxorem in adulterio deprehensam retinuisse] Plinius VI. 31. de Gallitæ marito: *Cæsar excussis probationibus, centurionem exautoravit, atque etiam relegavit. Supererat crimini, quod nisi duorum esse non poterat, reliqua pars ultionis: sed maritum non sine aliqua reprehensione patientiæ, amor uxoris retardabat, quam quidem etiam post delatum adulterium domi habuerat, quasi contentus æmulum removisse. admonitus, ut perageret accusationem, peregit invitus. Sed illam damnari etiam invito accusatore, necesse erat: damnata, & Iuliæ legis pœnis relicta est.*

L. Inter liberas.

Stuprum verò in virgine] De hoc lex vetus apud Græcos fuit, unde ad Gallos venit: ἢ γάμος ἄωρος ἢ θάνατος. Exstat apud Aphthonium, Sopatrum, & Græcos alios. Lex similis apud Senecam & Quintilianum: *Rapta raptoris nuptias vel mortem optet.* Adde Balsamonem & Zonaram in Canonem Apostolicum LXVII.

L. Incesti.

Incesti commune crimen] De Vestalium vitiatarum pœna Iuvenalis:

Cum quo nuper vittata jacebat,
Sanguine adhuc vivo terram subitura sacerdos.

Quem ad locum Scholiastes: *Hæc virginibus Vestæ pœna fuit decreta: si vitiatæ fuissent vivæ in parietibus struebantur, aut sub terra obruebantur.* Vide Plinium IV. epistola II. Scholiastæ ad Horatium incestus dicitur, qui flagitium commiserit, aut in sororem, aut in sacerdotem, aut in affinem: ubi affinem intellige, quæ sit parentis aut filiæ loco.

L. Mater.

Mulier, quæ evitandæ pœnæ adulterii gratia, lenocinium fecerit, aut operas suas in scenam locarit, adulterii accusari, damnarique ex Senatusconsulto potest] Ex Senatusconsulto facto post Tiberii tempora. Nam ad id tempus ex more apud veteres recepto, satis pœnarum adversus impudicas, in ipsa professione flagitii credebatur. Tacitus Annalium II.

L. Si uxor.

Sive justa uxor fuit, sive injusta.] Nondum usucapta. *Periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat*] Augustinus de verbis Apostoli, sermone IV. ex rescripto Antonini

752607

Antonini recitat: (totum rescriptum exhibebimus ad Titulum hunc in Codice) *Exemplo continentiæ docenda uxor, ut se castè gerat: iniquum enim est, ut id exigas, quod præstare ipse non possis.* Nazianzenus: πῶς σὺ σωφρονήσω μὴ ἀπαιτεῖς, ἐν αὐτεῖ σφέρεις ὦ. Hæc verissima & ex æquo dicta sunt. fermè enim ita evenit, ut mulieres mariti adulteria, si probent, imitentur; si improbent, ulciscantur. Attamen neque Græcis, neque Romanis legibus uxori licebat accusare maritum adulteria committentem, nimirum quod leges istæ non tam quod naturâ æquum esset, respicerent, quàm quod publica utilitas requireret. Idem ille Nazianzenus: τὶ δήποτε τὸ μὲν θῆλυ ἐκόλασαν, ἄῤῥεν τὸ ὃ ἐπέτρεψαν. Ἐ γυνὴ μὲν κακῶς βαλοῦσα μιᾷ τῶν κοίτων ἀνδρὸς, μοιχᾶται. ἀνὴρ ὃ καταπορνεύων γυναικὸς ἀδίκως. ἃ δέχομαι ταύτην τὴν νομοθεσίαν. οὐκ ἐπαινῶ τὴν συνήθειαν. ἄνδρες ἦσαν οἱ νομοθετοῦντες. Διὰ τοῦτο καὶ γυναίκων ἡ νομοθεσία. ἐπεὶ Ἐ τοῖς πατράσιν ὑπ' ἐξουσίαν δεδώκασι τὰ τέκνα, τὸ τ' ἀσθενὲς ἀθεράπευτον εἶασαν. *Quid ergo? femininum sexum punivêre, virilem reliquêre impunitum. & mulierquidem, quæ adversus mariti lectum, malum consilium capit, adultera dicitur: vir autem in uxoris contentum libidinans, extra pœnam est. Non probo legem hanc: non laudo consuetudinem. Viri nimirum fuêre qui has condidêre leges. Propterea & contra mulieres eunt hæ leges. Sic & in patrum potestatem dedêre filios, sexum infirmiorem reliquêre sine solatio.* Vide jus Græcoromanum, p. 419.

L. Nec in ea.

Sed qui occidere potest adulterum, multo magis contumelia poterit jure afficere] Vide militem Plauti glorioſum Act. v. Horatius. I. Sat. II.

Hunc perminxerunt calones. quin etiam illud
Accidit, ut cuidam testes, caudamque salacem
Demeteret ferrum. jure omnes: Galba negabat.

Solebant apud Græcos παραπλήσιον. Aristo-

phanes Pluto: & ibi Scholiastes: aut mugiles eis impingi, cujus meminit Scholiastes ad Nubes, Catullus, Iuvenalis.

Ideo autem patri, non marito mulierem & omnem adulterum permissum est occidere, quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit. Caterum mariti calor, & impetus facile decernentis fuit refrenandus] Lex erat Solonis ἐάν τις μοιχὸν λάβῃ ὅ τι ἂν βούληται χρῆσθαι. *Si quis adulterum deprehenderit, de eo statuat quod volet.* Meminere Lysias & Plutarchus. Sed videtur huic legi additum fuisse ἄνδρα ἐν ἀνδρῶσιν ἔχειν τὰ: Ita enim citat Lucianus Eunucho: aut ἐν ἔργῳ, ut Vlpianus, infrà, L. quod ait lex. Secuti hoc Romani jàm à Romuli temporibus ut ex Plutarcho, & aliis discimus: mansitque in usu diu. Catonis enim Majoris hoc dictum est apud Gellium x. 23. *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impunè necares: illa te, si adulterares, digito non auderet contingere, neque jus est.* Id respiciens Horatius:

Estne marito
Matronæ peccantis in ambos justa potestas?
In corruptorem vel justior?

Hinc explica illud apud Scholiasten Horatii: *Lex fuit apud Athenienses, ut adulterum cum adultera deprehensum liceret occidere. Hæc lex abolita est lege Iulia, quæ jussit cognitionem adulterii ad judices referri, & ita adulterium puniri.* Hoc secutæ Imperatorum constitutiones marito adulterum occidenti, nihil aliud quàm pœnam mitigarunt: ut videre est infrà, L. si adulterium, hoc titulo.

AD LEGEM CORNELIAM DE SICARIIS & BENEFICIIS.

Vetustissima homicidiorum pœna fuit fuga & mulcta. Vide quæ diximus de jure Belli ac Pacis I. II, 5. & II, XVII. 13. Vtriusque plurima sunt exempla

752607

exempla apud Apollodorum, ubi pro gravitate cædes alia perpetua fuga, alia annorum duorum, aut unius punitur. Servitus etiam annua, aut longior quibusdam injuncta. Ejus quoque exemplum apud Apollodorum habes: qui & ritum adjungit expiandi homicidæ cura regum: de quo & Herodotus. Sed lex Mosis exsilium retraxit ad eos, qui sine dolo homicidium committerent: eis enim qui deliberato, mortem injungi voluit Exodi XXI. 14. Num. XXXV. 31. Prov. XXVIII. 17. Et hoc secuti Græci, & post Græcos Romani, & Romanorum exemplo pleræque gentes. At Germani veteres, antiquorum institutorum retinentissimi, homicidæ mulctam irrogabant, ut testatur Tacitus, & leges Danicæ. Nicolaus tamen Damascenus distinguit, aitque, mortem fuisse pœnam, si quis externum occidisset: fugam, si quis civem, quod non caret ratione; quia per interfectionem hominis externi, nascitur belli materia. Scholiastes Horatii, homicidii reum esse dicit, qui nolentem servat. Vide Senecam Patrem in minoribus exceptis Controversiarum III. 9. & V. 1.

L. Ejusdem.

Veneni mali] Sic & Virgilius:

Ille malum virus serpentibus addidit atris.

Horatius:

Venena magnum fas nefasque.

Gellius X. 1. 9. verba ancipitia recitans, quæ duas res inter se contrarias significarent, ponit & venenum. Ac sicut medicamentum dicitur venenum, ita contrà venenum, id est bonum venenum dicitur medicamentum: imitatione Græcæ vocis φάρμακον. ita Nonius. Vide & L. qui venenum, infra de verborum significatione.

Sed & id quod amatorium appellatur] inter ea quæ disputari solent, ponit Quintilianus VII. 4. & 9. &

VIII. 5. an amatorium venenum sit, necne. Amatorium virus habes aliquoties apud Plinium in Naturali Historia. Sunt & odii pocula, de quibus habes duas declamationes, post institutiones Quintiliani XIV. & XV. Vide, L. si quis, infrà, de pœnis.

Alio Senatusconsulto effectum est ut pigmentarii, si cui temere cicutam, salamandram, aconitum, pituocampas, aut bubrostim, mandragoram, & id quod lustramenti causa dederint cantharidas, pœna teneantur hujus legis] Quintilianus declamatione XIII. *Venenum leges habere, emere, nosse denique vetant, inevitabilem pestem occulta fraude grassantem.* Videtur autem legendum: *Aut, ni quid lustramenti causa dederint, cantharidas.* id est cantharidas dederint, nisi parum aliquid ad piamenta, nimirum quia ut Scilla ita cantharides usum habent, πρὸς τὸ ἀφελεῖν δοίησιν.

Adipiscendæ, recuperandæ possessionis causa] Non additur, *retinendæ.* Et meritò: quia vim vi licet repellere.

L. *Lege Cornelia.*

Qui virilitatem amiserunt] Martialis:

Virilitatis damna mœret ereptæ.

Citra permissum præsidis non licuisse medicis quenquam castrare docemur Iustini Apologetico II. Adde quæ habet Chrysostomus I. ad Cor. XII. 23.

L. *Divus.*

In maleficiis voluntas spectatur, non exitus] Ita visum Romanis, etiam conatum qui aliquo usque processerat punire. Quintilianus Pater. *Nunquam mens exitu æstimanda est.* Alibi: *Insidiatus civi etiamsi non effecerit scelus, pœnas tamen legibus solvet.* Donatus ad Andriæ I. Sc. 4. *Non perficere, sed conari velle aliquid ad scelus, effectio est, etiamsi non*

potest

752607

potest fieri. Paulus Sententiarum v. *Consilium unius cujusque, non factum puniendum est.* Apulejus: *In maleficiis etiam cogitata scelera, non perfecta adhuc vindicantur, cruenta mente, pura manu.* Ambrosius Hexaëmeron VIII. *Ideo etiam in judicio istis voluntarios reos non ex necessitate compulsos, culpa stringit, pœna condemnat.* Quæ secuti & Græcoromani, ut videre est apud Michaëlem Attaliotam. Synt. II. tit. 72. Morem huic contrarium Germanicæ gentes ab antiquo lenes in pœnis, quæ vim coërcent, introduxêre. Cæterum de homicidio cui error intervenit, tractant Iudæi titulo de Synedrio, cap. 9. Si quis, ajunt, intendat occidere bestiam, & occidat hominem: si intendat occidere gentilem, & occidat Israëlitam; si apostatam, & occidat filium federis, liber est. Si intendat plagam inferre lumbis alterius, & quidem talem, quæ non valuisset eum ista parte corporis occidere, & plaga illa aberrans, impacta fuerit cordi sive pectori, fueritque talis, ut potuerit eum occidere illa parte corporis, & moriatur, ille liber est. Si intendat ejusmodi plagam infligere adulto, quæ non valeret occidere adultum, & illa per errorem infligatur parvulo, fueritque talis ut potuerit eum neci dare, & moriatur, liber erit. Si intendat percutere parvulum plaga, quæ ipsi letalis esse potuisset, & illa incidat in adultum, cui letalis esse non poterat, & tamen moriatur, liber est. At qui intendit plagam inferre lumbis alicujus, quæ possit esse isthic loci letalis, & aberrans excipiatur pectore, & mors subsequatur, ille reus est. Iterum, si quis intendat percutere adultum plaga ejusmodi, quæ ipsum leto dare posset, & per errorem ladatur parvulus, & mortem oppetat, & ille reus est. R. Simeon ait: si intendat occidere hunc, & occidat illum, liber est.

DE LEGE POMPEIA DE PARRICIDIIS.

Augustus manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi afficiuntur hac pœna, ita fertur interrogasse: *Certè patrem tuum non occidisti.* Suetonius.

L. Vltima.

Eorum qui parricidii pœna teneri possint, semper accusatio permitttitur] Id est ad xx. annos. L. querela, C. ad L. Corn. de falsis. hoc jus est Romanorum. apud Græcos veteres non obtinuit: nam Aristocratem legimus Arcadum regem prælii in Cypro proditi pœnas luisse post annos xx. Habet id Plutarchus de sera numinis vindicta. Qui verò decem per annos pœnam perpetuam exierant, eos habitos in ministeriis, quæ non procul à pœna aberant; testis Plinius x. epist. 41.

AD LEGEM CORNELIAM DE FALSIS, & de senatusconsulto Liboniano.

Cappadoces eculeo se exercebant ad falsa testimonia, tradente ad Persium Scholiaste. Pœnæ variæ, majores, minores pro delicti modo. Severus falsarii digitos incidi jussit; alium fumo puniri, quod fumos vendidisset. At Gallienus ad leonem damnato, capum immisit, jussitque dici: Imposturam fecit, & passus est. In Apollodoro habes Ascalapho Acherontis filio, qui falsum testimonium contra Cererem tulerat, à Cerere saxum grave impositum.

L. I.

Item ob instruendam advocationem] Ad litem instruendam advocatione, infrà L. falsi pœna: ad contrahendos multos qui tanquam amici, & παρακλητοι, causæ adessent. Meminit hujus artificii Demosthenes adversus Leocharem.

Socie-

752607

Societatem coierit ad obligationem innocentium Græci legerunt, *ad oblocutionem innocentium*, id est, ad infamandos innocentes. In Declamatione: Gener divitis inimici, apud Senecam: *tot servi sequuntur, tot liberi, tot clientes, ut quicquid dixerint, rumor sit.*

L. Quicunque.

Quicunque nummos aureos partim raserit, partim limarit vel finxerit] Apud Paulum sententiarum v. tit. xxv, lege Cornelia teneri dicitur, qui nummos aureos, argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit, raserit, corruperit, vitiaverit, vultuve Principum signatam monetam, præter adulterinam, reprobaverit. Tertullianus de pœnitentia: *Si qui venditant, prius nummum quo pacisçantur, examinant, ne sculptus, neve rasus, ne adulter.* Arrianus: ὁ ἀργυροξυλάμων πρόσεστιν καὶ δοκιμασίαν τοῦ νομίσματος τῇ ὄψει, τῇ ὀσφρασίᾳ, τῇ γεύσει τῇ ἀκοῇ. *Argentarius ad explorandos nummos utitur adspectu, olfactu, ad ultimum & auditu.* In formula qua moneta committitur apud Cassiodorum VII. 32. *Auri flamma nulla injuria permixtionis albescat, argenti color gratia candoris arrideat, aris rubor in natura quantitatis permaneat.* Deinde: *Pondus quin etiam constitutum denariis præcipimus servari.* Adde Zenonem II. de avaritia, & Xiphilinum de nummis Caracallæ.

L. Lege Cornelia.

Testimonia vel falso invicem dicenda] Cicero pro Flacco: *Unde illud est? da mihi testimonium mutuum. totum illud Græcorum est.*

L. Lege Cornelia testamentaria.

De partu supposito] Scholiastes ad Iuvenalem: *Decepta vota, quia suppositus est filius.*

DE LEGE IVLIA REPETVNDARVM.

De hoc judicio vide Plinium IV. Epist. 9. Multa ejus exempla apud Tacitum.

L. Lege Iulia.

Qui cùm aliquam potestatem haberet, pecuniam ob judicandum decernendumve acceperit] Cyprianus ad Donatum: *Inter leges ipsas delinquitur: inter jura peccatur.* Idem ad Demetrianum: *Hostem quereris exsurgere, quasi & si hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit. Hostem quereris exsurgere; quasi non, etsi externa de barbaris arma, & pericula comprimantur, ferocius intus & gravius, de calumniis, & injuriis potentium civium, domesticæ impugnationis tela grassentur.*

L. Lex Iulia.

Quid enim si ob hominem necandum pecuniam acceperint?] Plinius II. 11. *Novissime consul designatus Iulius Ferox, vir doctus & sanctus, Mario quidem judices interim censuit dandos: evocandos autem, quibus diceretur innocentium pœnas vendidisse.*

AD LEGEM IVLIAM PECVLATVS.

L. Divi Severus.

Res privatorum si in ædem sacram depositæ subreptæ fuerint, furti actionem, non sacrilegii esse] Definitur hic quæstio, quæ est apud Sopatrum & Quintilianum VII. 4.

DE LEGE IVLIA AMBITVS.

Coponius damnatus ambitus, qui vini amphoram dedisset dono ei, cui suffragii latio foret. Plinius Historiæ Natural. XXXV. 12. Cyprianus: *Quantis hic sordibus emit ut fulgeat?* Huc pertinent διανομαὶ, nummorum aut sportularum in multos elargitio. In Glossario: διανομὴ χρυσίου,

752607

χρυσία, διανομὴ ἀργύρα, sportulæ. restituenda hæc vox Plinio & Trajano epistolis 117. 118. ubi *dianomes* scriptum pro *dianomes*: sportulas explicat ipse Trajanus.

L. 1.

Quia ad curam Principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem] Iuvenalis :

jam pridem ex quo suffragia nulli
Vendimus, effudit curas: nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem, & Circenses.

Scriptor de causis corruptæ eloquentiæ: *Quid multis apud populum concionibus, cùm de Republica non imperiti & multi deliberent, sed sapientissimus & unus?* Tacitus de Augusti principatu : *Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio, ob certamina potentium, & avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremò pecuniâ turbabantur.* Et nota quæ ibi dixit Tacitus, præsagia quædam esse Reipublicæ ad unum se inclinantis. Phædrus :

Athenæ cùm florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miscuit
Frenumque solvit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus,
Quum tristem servitutem flerent Attici.
Non quia crudelis ille, sed quoniam grave
Omnino insuetis onus, & cepissent queri,
Æsopus talem tum fabellam rettulit.

Quod dicit Pisistratum lenem fuisse dominum, verum est : itaque Cicero duas species tyrannidis facit, Πεισιστρατισμὸν, & Φαλαρισμόν.

AD

AD SENATVSCONSVLTVM TVRPILLIANVM, & de abolitionibus criminum.

Hieronymus ad Pammachium, de optimo genere interpretandi: *Leges etiam pro utilitate fisci noxiis delatoribus pœnas statuunt.* Nota falsis delatoribus apposita à M. Antonino Philosopho. Macrinus delatores, si non probarent, capite plexit: si probarent, dato præmio infames dimisit. Calumniatores exustos habes apud Ammianum XXII. & XXIV.

DE REQVIRENDIS, VEL Absentibus damnandis.

Edicto citari absentes, vides apud Ammianum XXVIII. quatuor edictis ait Appianus civilium I.

L. I.

Neque enim inaudita causa quenquam damnari æquitatis ratio patitur] Diximus quædam huc pertinentia ad titulum, suprà de publicis judiciis. *Publicè utile est absentes à quibuscunque defendi. Nam & in capitalibus judiciis defensio datur: ubicunque igitur absens quis defendi potest, ibi quemvis verba pro eo facientem, & innocentiam excusantem, audire æquum est, & ordinarium admittere.* L. servum, §. Publio, D. de procuratoribus. Cicero pro Sexto Roscio: *Utilius est absolvi nocentem, quàm innocentem causam non dicere. causa cognita possunt multi absolvi, incognita nemo condemnari potest.* Tacitus Annal. XIII. *Cuicunque, nedum parenti, defensionem tribuendam.* Historiarum III. *Quamvis invisum ac nocentem, more tamen audiendum.* Tertullianus Apologetico: *Inauditum si damnant, invidiam iniquitatis merebuntur.* Alibi: *Non posse crimina objici, quæ neque institutum dirigit, neque prolatio assignat, neq; sententia enumerat. Et quando*

non

752607

non licet indefensos & inauditos omnino damnari. Aristides altera in Platonem laudat illud, πατταξον μὴν, ἄκουσον δέ. *Feri si vis, sed interim audi.* Apulejus x. Milesiorum: *Nec adinstar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus:* Vbi & quæ præcedunt non indigna lectu Lactantius v. 1. *Sacrilegis & proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quenquam, incognita causa licet.* Sic Gildo, quamvis absens, à Senatu Romano damnatus legitimo ordine judicii. Symmachus IV. 4. Is est Gildo, de quo exstat Claudiani carmen, cujus filia Salvina nota Hieronymi scriptis. Lex fuit Lycurgi, αὐτοὶ ἀκρίτων, ut eam vocat Sextus Empiricus III. quæ de indemnatis supplicium sumi vetabat, ut Valerius Maximus VII. cap. III, 12. Vide & si placet Ambrosium epistola 28. Salvianum, libro VIII. Augustinum epistola 50. & 362. Acontius apud Ovidium.

Ignoras mea jura? voca, cur arguor absens?

Et postea:

Nunc reus infelix absens agor: & mea cùm sit
Optima, non ullo causa tuente perit.

DE QVÆSTIONIBVS.

Quædam huc pertinentia attulimus ad titulum de confessis. Chrysostomus I. de jejunio, tomo VI. ὥσπερ ἐν δικαστηρίῳ κατηγόρων παρόντων καὶ μαρτύρων ἐρεσχηκότων καὶ ἐλέγχων γενομένων, ὁ σοφώτερον εἰ δικάζοντες τὸν ἴδιον ἐκφέρουσιν, ἕως ἂν ἄλλος ὁ κατάδικος, κατήγορος τῆς ἰδίας ἁμαρτίας γένηται, *Sicut in foro præsentibus accusatoribus, auditis testibus, probationibus receptis, non ante judices sententiam ferunt, quàm reus ipse sui criminis index fiat.* Ad has quæstiones pertinentia habes apud Isocratem Trapezitico, Isæum de Cironis hereditate, Demosthenem priore in Onetorem.

Ne

Ne quæstio de servis in caput domini haberetur, lex apud Romanos vetus fuit. Diximus ad titulum de accusatoribus. In stupri quæstionibus id vetari ait Ammianus XXVIII. Excipit Cicero pro Milone quæstiones de incestu. Sed Imperatores huic legi fraudem fecêre, servos priùs publico mancipari jubentes. quod Augusto tribuit Xiphilinus ex Dione, Tiberio Tacitus Annal. II.

L. De minore.

Ut moderatæ rationis temperamenta desiderant] Et in hac re distinctio fuit ex qualitate. Prudentius Romano:

Persona quæque competenter plectitur,
Magnique refert vilis an sit nobilis.
Gradu reorum, forma tormentis datur.

DE POENIS.

Omnia quæ sunt hujus argumenti, latè tractavimus libro II. de jure Belli ac Pacis c. XX. Non omittendus hîc Plutarchi illustris locus quæstionum Romanarum 82. Διὰ τί τῶν ῥαβδούχων αἱ ῥάβδοι συνδεδεμέναι φέρονται πελέκεσι; πότερον, ὅτι σύμβολόν ἐστι τοῦ μὴ δεῖν φεύγειν ἐν ἐλευθέρῳ τῷ ὀργῇ τοῦ ἄρχοντος; ἢ διατείνει καὶ μέλλησιν ἐμποιοῦσι τῇ ὀργῇ τὸ λύειν αἰτήσασαι τὰς ῥάβδους πολλάκις ἐποίησε μεταγνῶναι περὶ τῆς κολάσεως; ἐπὶ δὲ τῆς κακίας τὸ μὲν ἰάσιμόν ἐστι, τὸ δὲ ἀνήκεστον, αἱ μὲν ῥάβδοι νουθετοῦσι τὸ μεταθέσθαι δυνάμενον, αἱ δὲ πελέκεις ἀποκόπτουσι τὸ ἀνεπιδέκτητον. *Cur magistratuum virgæ feruntur colligatæ, appendentibus & securibus? An signum hoc est, non debere promtam solutamque iram esse magistratus? An verò quia cunctationem quandam, & moram iræ adferunt lentè evolutæ fascibus virgæ, idque sæpe nonnullos ad decretæ pœnæ pœnitentiam duxit? Quandoquidẽ verò vitia alia sunt sanabilia, alia insanabilia:*

virgæ

752607

virgæ eos corrigunt, qui in melius mutari possunt; secures præcidunt, id quod corrigi non potest. Duæ hic quæstiones oriri possunt: prior est, rectiusne pœnæ omnes judicum permittantur arbitrio, an definiantur legibus. Apud Locrenses prius illud diu valuerat: sed posterius à Seleuco prælarum docet nos Strabo, lib. VI. Altera est, an judices minores legibus pœnas constituere possint, non jam dico in casibus, in quibus leges ipsæ id permittunt, sed generaliter. Augustinus epist. CLVIII. *Soleo enim audire in potestate esse judicis, mollire sententiam, & mitius vindicare quam jubent leges.* Certè sublimioribus judicibus ferme solet id jus dari. Plinius libro VI. 9. *Cæpio cum putaret licere senatui sicuti licet, & mitigare leges & intendere, non sine ratione veniam dedit, facto vetito quidem, sed inusitato.* Etiam intendendi leges potestatem dat senatui, nempe ob circunstantias atrocitatem addentes facinori. Sic eorum qui pœnam elusere, pœna duplicatur. Plinius X. epist. 65. Vide infrà legem Relegati. L. aut damnum, §. quisquis. Ad minuendam pœnam valet & jussus superioris. Profuisse id Herculi, qui sacram Dianæ cervam occiderat, jussu Eurysthei, tradit Apollodorus libro II.

L. *Prægnantis.*

Prægnantis mulieris consumendæ damnatæ pœna differtur] Ab Ægyptiorum æquitate id primum venit, teste Diodoro. Secuti Græci & Romani, ut alii notarunt, quibus addendus hic Chrysostomi locus 11. de Pœnitentia. Καὶ γὰρ ὡς φασιν οἱ παρὰ νόμων τὴν κοίνων ἔμπειροι, ὡς οἱ Ρωμαίων παρακελεύονται νόμοι, πολὺ συμφορᾶσαι, εἰ πολλὰ πεπείσαι πλήμμα θανάτε δίκαιον ἐπάγοντι, μὴ φείσεσθαι αὐτῆς δεῖν ὡς ἂν τέκνα τὸ συμφορήμενον. ὡς μάλα εἰκότως· ἐ γὰρ ἐδικαίωσαν οἱ καλῶς τεθεικότες τὰς νόμους σωναφανιδῶσαι τὸ ἀναμάρτητον τῇ ἀυξήσεσθαι· εἰ δὲ οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι φείδονται τῶν μηδὲν ἡμαρτηκότων,

τῶν, ὁ θεὸς δὲ πολλῷ μᾶλλον φυλάξει τὴν ῥίζαν, τοῖς καρποῖς ταμιευόμενος τὴν ἐν μετανοίας διέρεσίαν; *Nam ut ajunt ii qui leges norunt communiter receptas, & ut diserte jubent Romanorum scita, pragnans femina, si quid dignum morte commiserit, non prius interficitur quàm partum ediderit, idq; merito. neq; enim justum judicarunt ii qui prudenter scripserunt leges, pariter cum ea quæ deliquerit tolli, id quod delicti est expers. Quòd si leges ab hominibus repertæ, parcāt iis, qui non peccarunt, quanto magis Deus servabit radicem, servans fructibus suam, pœnitentiæ occasione, beneficentiam.*

L. Si quis fortè.

Nunc genera pœnarum nobis enumeranda] Sunt multæ pœnæ locorum propriæ, ut Alexandriæ serpentibus pectori admotis, quod esse leniſſimum pœnæ genus censet Galenus de Theriaca ad Pisonem.

L. Veluti.

Vinculorum verberatio] Distingue, *vinculorum, verberatio.* Et ad illud vinculorum, subaudi, *pœna,* ex superiore. Cicero de Repub. III. *His pœnis, quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exsilio, vinculis, verberibus, elabuntur sæpe privati.* De finibus: *Mitto vincula, carcerem, verbera.* De officiis: *Eos morte, exsiliis, vinculis, damno coërcent.*

L. Aut damnum.

Vel fusti] Fustibus cædere gravius quàm loris: Scholiastes Horatii.

Et si in decem annos damnatus sit] Quod tempus in ipsis damnationibus frequens, ut ex Plinii quoque epistolis apparet.

L. Moris est.

Moris est advocationibus quoque præsides interdicere] Exemplum ejus interdictionis habes apud Sym-

752607

Symmachum v. 41. IX. 28. ubi dicitur hoc inconsultæ linguæ pretium. vide L. quisquis C. de postulando.

L. Aut facta.

Eventus spectetur ut à clementissimo quoquo facta] Aliæ editiones habent, *à dementissimo*. putem scriptum fuisse: *Vt æstimentur animo quoquo facta*: ut æstimationem suam recipiant ex animo quocunque ea facta apparet, non ex nudis factis.

Apud Græcos exsilio voluntario fortuiti casus luebantur] Homicidii scilicet, ut explicat sequens exemplum. Græci hoc à Phœnicibus habuere, Phœnices ab Hebræis. causam in vita Mosis sic explicat Philo: ὁ κτείνων ἀνθρωπον, εἰ μὲν δικαίως, ἢ ἀμύνασθαι, ἢ βιαίου, ἢ παρανόμου τοῦ δοκεῖ δικὴ τοῦ αἴτιος εἶναι τῷ ἢ κοινῷ συγγενεῖ. *Qui hominem interficit etiamsi juste, id est, se defendens, ac coactus, tamen reus videtur, ob illam summam commanemque inter homines cognationem.* Nimirum creditur illis Deus hoc non permisisse, nisi ob culpam aliquam latentem. Quod de homicidio in sui tutelam facto dictum est, idem & ad homicidia, ex mero casu, aut culpa levi facta, pari ratione producendum est. Comparat hæc etiam Valentiniani Novella, ne quis purgetur de cæde, casu, vel sui tuendi causa facta, sine annotatione Principis: quod jus, ut pleraque Romana ante Iustinianum, ab eo tempore in Galliis receptum, etiam nunc manet. Sic Cephalus ob homicidium per ignorantiam commissum in Procrin exsilio punitus: item Hercules ob Linum, narrante Apollodoro. Idem de Apolline tradit Servius ad III. Georgicon. Nicolaus Damascenus talibus annuum exsilium irrogatum dicit Græciæ more. Numæ legibus cautum, *Vt si quis imprudens occidisset hominem, pro capite occisi & natis ejus in cautione offerret arietem.* Ita Servius ad Eclogam IV. sed lege: *in comitio offerret.*

Quo-

Quoties nimirum multis personis grassantibus exemplo opus sit] Aurelius Victor Albino: *Ea delictorum quæ grassari immodicè cœperint, plus penè quàm severè excidenda sunt.* Symmachus II. 13. *Tantum denuo legibus severitatis addendum est, quantum flagitia creverunt.*

L. Capitalium pœnarum.

Proxima morti pœna metalli coërcitio] Ideo Clemens Alexandrinus II. 12. ad metallum damnatos vocat, ὅτι θανάτῳ κεκριμένους. Sic Silanus Consul cùm dixisset ultimo supplicio afficiendos eos, qui cum Catilina conjuraverant, Cæsaris oratione deterritus, ultimum supplicium interpretari volebat de carcere. Sed Catonis auctoritate motus, rediit ad sententiam severiorem. Sic Plutarchus Catone Vticensi.

L. Si quis.

Qui abortionis, aut amatorium poculum dant] De amatorio diximus suprà, ad Titulum Legis Corneliæ de Sicariis. De abortionis causa vide Baba Kamma VIII. 2. Legem Salicam Tit. XXVIII. §. 5.

L. Cicero.

Accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset] Non puniebatur Græcorum aut Romanorum legibus mulier, quæ abortum fecisset volente marito. Ideo Christianos in hoc ipso gentibus opponit Tertullianus: *Nobis vero homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. homicidii festinatio est, prohibere nasci. nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet; homo est & qui est futurus.* Idem discere potes ex secunda Basilii ad Amphilochium epistola, num. 1. & 8. Neque distinguunt Christiani, ut Hippocrates & Aristoteles,

752607

teles, animatusne jam fuerit partus an nondum. De sensu legis Exodi XXI. 22. ad eum locum dicemus.

DE BONIS DAMNATORVM.

Cicero in Epistola ad M. Brutum 14. esse ait omnium civitatum, ut ad liberos pœna perveniat: bonis scilicet publicatis, ut intelligitur ex Epistola ejusdem ad eundem undecima. Addit & Themistoclis liberos eguisse: & si Lepidus judicio de vi damnatus fuisset, eandem calamitatem subituros liberos fuisse. Notandum verò & Athenis, & in libera republica Romana, iis qui urbe excederent ante latam sententiam, in integro fuisse & bona & vitam, excepto si à populo judicarentur, sicut Themistocli evenerat, & Ciceroni per privilegium, ut Romani loquebantur. Mutare cœpit Cæsar. Parricidas enim omnibus bonis, reliquos dimidia parte mulctavit, nimirum, ut notat Suetonius, quod locupletes eò facilius scelere se obstringerent, quod integris patrimoniis exsularent.

Quid enim salvis infamia nummis?

L. Divus.

Vestem qua is fuerat nudatus] Post mortem. Carnifex enim exustus, quod damnatam mulierem denudaverat. Ammianus libro XXVIII.

DE BONIS EORVM QVI ANTE SENtentiam vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt.

L. Qui rei.

Non enim facti sceleritatem esse obnoxiam] Scripsit Papinianus, *fati celeritatem. Sic mortem in se festinavit.* Tacitus Annal. IV. Et Annalium VI. *Eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Nullum in

ipsa morte sponte quæsita scelus agnoscebat Papinianus. Christiani quoque Principes, si abesset mali facinoris conscientia, publicorum judiciorum pœnis id non sunt exsecuti: sed Canonibus & Ecclesiæ eam curam reliquere. Multa sunt legibus impunita, quæ cum Christi regulis pugnant. Fuêre tamen etiam extra Christianos, qui certis de causis ἀυθοφονίαν punivere, ut Tarquinius, improbante Plinio XXXVI. 15. Ptolemæus in Cleomene. Vide quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis XIX. 5.

DE INTERDICTIS, ET RELEGATIS, & deportatis.

L. Inter pœnas.

Deportandi autem in insulam jus præsidibus provinciæ non est datum, licet præfecto urbi detur] Puto & Præfecto prætorio. Vide an eò spectet Epistola Trajani ad Plinium 65.

DE SENTENTIAM PASSIS & restitutis.

L. Si deportatus.

Indulgentia Principis] Neque enim Proconsulibus id licebat. Plinius ad Trajanum 64. Literæ à principe in honorem scriptæ alicujus, præsertim si & statuarum honor accesserit, benigne hanc interpretationem recipiunt, ut restituisse eum contra sententiam credantur. Ibidem epist. 68.

DE CADAVERIBVS PVNITORVM.

Vide quæ diximus ad Matth. XXVII. 58.

DE APPELLATIONIBVS & relationibus.

Ἔφεσις Athenis dabatur adversus id, quod magistratus dicti ἄρχοντες, aut κληρωτοὶ διαιτηταὶ, sorte dati arbitri, pronuntiaverant. Paulinus in Epistola

752607

Epistola ad Zosimum: *Maximè cum nihil agente appellatore, secundum etiam humanas leges superiòr sit semper ille, qui vicit.*

L. Illud.

Illud sciendum est, eum qui provocavit, non debere convitiari] Ὁ ἐκκαλέμενος μὴ δεῖ ὑβρίσαι τὸν δικαστὴν, ἐὰν τιμᾶται. *Appellans si priori judici convitia ingerat, infamis sit.* Sic Attaliata LVIII. In Capitulari Caroli Magni VII. 142. *Notatur infamia quicunq; dum appellat, in judicem convitium dixerit.*

L. Si expressum.

Contra juris rigorem] Rigor hìc rectitudinem significat, ut apud scriptores de limitibus.

QVANDO APPELLANDVM sit, & intra quæ tempora.

Περθεσμίαν τ' προθέσεως, vocat Aristides Sacro sermone IV.

NIHIL NOVARI APPELLATIONE interposita.

Hoc tuitio vocatur apud Symmachum X. 36. Si quid contra factum est, illico reformatur. Idem Symmachus X. 36. provocatio enim sententiam suspendit, ut ait idem X. 55. Augustinus Epistola 136. *In causis sæcularibus quando ad majorem potestatem refertur arbitrium judicandi, manentibus sicut erant omnibus rebus, exspectatur illa sententia, unde jam non liceat provocare.* Epistola sequente. *Quod neque in negotiis sæcularibus judices faciunt, quando causa dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare.* Vide edictum Theodorici, c. 55.

SI TVTOR, VEL CVRATOR, vel Magistratus appellaverit.

Vide dictam orationem Aristidæ.

DE IVRE FISCI

Sicut sportulæ sunt nummûm receptacula, ita & fisci, sed ad majoris summæ pecunias capiendas. Asconius ad Verrinam secundam. Hinc factum ut Cæsarum vocaretur fiscus, sicut populi ærarium. quomodo & distinguit in Panegyrico Plinius. Non autem bona tantùm debitorum fisco vindicata, de quo videri potest Cassiodorus v. 6. 7. verùm & ipsi sæpe debitores venditi, ut ad Iuvenalem ait Scholiastes.

L. Non puto.

Non puto delinquere eum, qui in dubiis quæstionibus contra fiscum facile responderit] Fisci causa mala non est nisi sub bono Principe. Talis M. Antoninus Philosophus, qui fisco in causis compendii non favebat.

L. Divus.

Obsidum bona, sicut captivorum, omnimodo in fiscum cogenda] Sine ea Commodi Constitutione futura fuerant occupantis. Vide dicta à nobis, libro III. de jure Belli ac Pacis VI. 12.

DE CAPTIVIS, ET DE POSTliminio & redemptis ab hostibus.

L. Navibus longis.

Diximus libro III. de jure Belli ac Pacis IX. 14.

L. Eos qui.

Eos qui ab hostibus capiuntur] Id est, de hostibus. *Vel hostibus deduntur*] Lege: *Vel ab hostibus deduntur.*

L. Post-

752607

L. Postliminii jus.

Intra præsidia] Vide libro III. de jure Belli VI. 3. IX. 2.

Nam si cum gente aliqua, neque amicitiam, neque hospitium, neque fœdus amicitiæ causa factum habemus, hi hostes quidem non sunt] Vt nunc quidem est ejus vocis usus. at in lege XII. tabularum hostes vocabantur. Varro: *Olim hostem dicebant peregrinum, qui suis legibus uteretur. Nunc eum quem tunc appellabant perduellem.*

In Attilio Regulo, quem Carthaginenses Romam misere responsum est, non esse eum ex postliminio reversum] Ideo capitis minor dicitur Horatio.

Quia juraverat Carthaginem reversurum] De jurio devinctus erat, ut in simili re loquitur Gellius VII. 18.

L. Non dubito.

Vide dicta libro I. de jure Belli III. 21.

L. In bello.

De quibus nihil in pactis erat comprehensum] *De quibus id in pactis erat comprehensum.* ut diximus libro III. de jure Belli ac Pacis IX. 4.

Apud quos jam hostes suo fato deprehenduntur] Sic legendum ostendimus III. de jure Belli ac Pacis VI. 12.

Et in propriorem dedit causam] *In propiorem.*

L. Postliminium est jus.

Quia disciplina castrorum antiquior fuit parentibus Romanis, quam caritas liberorum] Manlius Torquatus ipsi naturæ patriæque amori prætulit jus majestatis, ait Cicero primo de finibus.

L. Si captivus.

Dominia eorum ad priores dominos redire] De jure Belli ac Pacis III. IX. 13.

Publicatur enim ille ager qui ex hostibus captus sit] Eodem libro VI. 4.

L. Latrones.

Latrones tibi servum eripuerant : postea is servus ad Germanos pervenerat] Simile apud Tacitum Agricola : *Atque ita circumvecti Britanniam , amissis per inscitiam regendi navibus , pro prædonibus habiti, primùm à Suevis, mox à Frisiis intercepti sunt. Ac fuêre quos commercia venundatos , & in nostram usque ripam mutatione ementium adductos , indicium tanti casus illustravit.*

DE RE MILITARI.

L. Militum delicta.

De his vide Polybium. Hinc jurisdictio castrensis Tacito in Agricola. stratis subselliis tantum , ut ait ad Iuvenalem Scholiastes. Etiam in civilibus quæstionibus miles privilegio fori utebatur :

Legibus antiquis castrorum , & more Camilli
Servato, miles ne vallum litiget extra.

L. Desertorem.

Pœnæ militum hujuscemodi sunt] Inter pœnas militum reperio præcipitationem,apud Tacitum Annalium 1; fustigationem apud Lampridium Commodo ; confixionem per sagittas apud Rufum in legibus militaribus , & Vsuardum ac Bedam in Martyrologio ad XIII Kalendas Ianuarias.

Qui agmen excessit] ὁ στρατιώτης ἅπαξ γνώμην ἀν' ἀλλῳ ἀποτακήσας, περὶ τῆς ἐκείνου ὁ κίνδυνος, ait Chrysostomus ad Theodorum. *Qui militiæ semel nomen dedit, si aciem deserat, de vita ejus agitur.*

L. Qui cum uno.

Pretiosiorem se adversario facere] *Speciosiorem* legit Heraldus, non male.

Sed

752607

Sed si in transactione recidit] Idem: *res cecidit.*

L. Omne delictum.

Qui in acie prior fugam fecit] Pro modo periculi atque ipsius fugæ, pœna modò major, modò minor. alios vivos exustos, aliis ademptas dexteras narrat Ammianus libro XXIX. idem libro XXIV. exauctoratos quosdam capitali addictos supplicio: addens in eo Iulianum secutum veteres leges. Habes & libro ejus XXV. exemplum equestris numeri, cui adempta signa, hastæque infractæ: ipsi inter impedimenta, & sarcinas, & captivos agere iter iussi.

L. Ab omni.

Ab omni militia servi prohibentur] Chrysostomus de statuis XXI. οὐ ταῦτα ὃ μόνον ἔχειν χρὴ τὴν μέλλοντα στρατεύεσθαι, ἀλλὰ καὶ ἐλεύθερον εἶναι. εἰ γὰρ δοῦλός τις ἦ, ἐκβάλλεται. *Neque verò hæc tantum habere debent militaturi, sed & esse liberi. si quis enim servus sit, ejicitur.* Idem oratione adversus eos qui cœtus derelinquunt: οὐδεὶς στρατεύεται οἰκέτης. ἀλλ' ἐὰν ἄλλῳ δοῦλος ὤν, μετὰ τιμωρίας ἐκβάλλεται τῶν τῶν στρατιωτῶν καταλόγου. *Nemo servus militat: ac si quis servus inter milites deprehensus sit, cum pœna ejicitur ex militum numero.* Quod autem ait Marcianus, servos capite puniri, id intelligendum si voluntarii se obtulerint: non si electi sint, aut ab alio vicarii dati. Ita enim distinguit Trajanus in epistola ad Plinium 34. additque puniendos qui se obtulerint probatoribus; etiam si in numeros distributi nondum sint.

L. Milites agrum.

Si vitem tenuit] Plinius libro XIV. 1. de vitibus: *Quid quod insertæ castris summam rerum imperiumque continent? Centurionum in manu vitis, & optimo præmio tardos ordines ad lentas perducit Aquilas:*

atque etiam in delictis pœnam ipsam honorat. Scholiastes ad illud Iuvenalis :

Nodosam frangebat vertice vitem,
centurione vapulando suo vertice frangi patiebatur Marius vitem dum militat. Centurio quidam apud Tacitum, Annalium 1. militaribus facetiis cedo alteram dictus, quod fracta vite in tergo militis, clara voce alteram ac rursus aliam popoſcerat.

DE CASTRENSI PECVLIO.

Iuvenalis :

Nam quæ sunt parta labore
Militiæ, placuit non esse in corpore census,
Omne tenet cujus regimen pater.

Vbi Scholiastes: *Castrense peculium liberum habent.*

AD MVNICIPALEM, ET DE INCOLIS.

L. 1.

Et propriè quidem municipes appellantur muneris participes] Municipes qui unà munus fungi debent, ait Varro libro v. Festus verò : *Municeps est, ut ait Ælius Gallus, qui in municipio liber natus est. Item qui ex alio genere hominum munus functus est. Item qui in municipio à servitute se liberavit à municipe. Item municipes erant, qui ex aliis civitatibus Romam venissent, quibus non licebat magistratum capere, sed tantum muneris partem. At Servius filius ajebat, initio fuisse, qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper rempublicam separatam à populo Romano haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æquè cives Romani erant, & in legione merebant, sed dignitates non capiebant.* De Municipio idem sic: *Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fierent omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo: sicut fuerunt Fundani, Formiani, Lumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives*

Romani

752607

Romani effecti sunt. Alio modo cùm id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Carites, Anagnini. Tertiò, cùm id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes essent suæ cujusque civitatis & coloniæ, ut Tiburtes, Prænestini, Pisani, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Lutrini, Lucenses. Gellius verò XVI. 13. ex Adriani Imperatoris oratione ait, municipes esse cives Romanos ex municipiis, legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, à quo munere capessendo appellati videantur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, ni populus eorum fundus factus est. Coloniarum aliam esse necessitudinem: non enim venire extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus niti, sed ex civitate quasi propagatas esse, & jura institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habere: quæ conditio cùm sit magis obnoxia, atque minus libera, potior tamen & existimabilior existimatur propter amplitudinem, majestatemque populi Romani, cujus istæ coloniæ quasi effigies parvæ, simulacraque esse quædam videantur. Inter multas municipum & municipiorum significationes, hæc à Gellio relata horum jurisconsultorum temporibus congruit. Confunduntur interdum municipii & coloniæ nomina. Nam Placentiam, quæ colonia erat, municipium in oratione contra L. Pisonem, dici notavit Asconius. Isidoro municipales, originales cives, & in locis officium gerentes, decuriones dicti, quòd sint de ordine curiæ: Curiales iidem & Decuriones qui civilia munera procurant, & exsequuntur. Ad municipalem hîc in titulo, intellige legem. Incolæ sunt Isidoro non indigenæ, sed advenæ, & Cicero peregrinos cum incolis conjungit.

L. Simile.

Simile privilegium fisco nulla civitas habet in bonis debitoris, nisi nominatim id à principe datum sit] Vt Antiochia: L. Antiochensium. D. de rebus auctoritate judicis possidendis: pleræque civitates Bithyniæ, & Ponticæ. Plinius x. Epist. 108.

L. Quod major.

Quod major pars curiæ effecit, pro eo habetur, ac si omnes egerint] Vide libro II. de jure Belli ac Pacis V. 17. & III. c. XX. 4.

DE DECVRIONIBVS ET FILIIS eorum.

Vide quæ diximus ad Matth. XXVII. 57. Non tenentur autem decuriones pecuniam publicam apud se accipere sub usuris. Plinius 62. 63. Nonnullis in locis moris erat, ut aliquid solverent pro introitu. Idem X. 113. 114. Antiochenis indultum ut ex materna origine decuriones fierent. Zosimus libro III.

L. Generaliter.

Sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non laderent] Noluerunt eos cogi ad sacerdotia obeunda, γυμνασιαρχίας, & similia onera, ipsorum ritibus contraria.

DE ALBO SCRIBENDO.

In albo scribebantur decuriones, ut dicit lex hic prima. Procopius in Arcana Historia. Ἀνατόλιος ἦν ἐν Ἀσκαλωνίτῶν λευκώματι τὰ πρωτεῖα ἔχων. *Anatolius erat quidam princeps in Ascalonitarum albo.*

DE LEGATIONIBVS.

Legati, quod ut publicè mittantur, legantur, ait

752607

ait Varro. Verius est quod lege fieri solebant: nam & in testamentis legare, est legem hæredi dicere.

L. Legatus.

His qui gratuitam legationem susceperunt, legativum ex forma restituatur] Ex forma, id est ex contractu, Vide L. munerum, §. legati, suprà, de muneribus. Legativum est quod datur pro impensis itineris. Munera quæ legati acceperant, in ærarium relata à legatis, Valerius Maximus IV. III, 9. non ut rem moris, sed ut signum abstinentiæ refert, additque & patrum conscriptorum decreto, & populi permissu, data iis quæ in ærarium retulerant.

L. Cum quæritur.

An in eum qui in legatione sit, actio dari debeat] Absens reipublicæ causa, inter reos recipi non poterat, legis Memmiæ beneficio.

L. Si quis.

Contra jus gentium id commissum esse existimatur] Vide quæ attulimus libro II. de jure Belli ac Pacis XVIII. & in annotatis.

DE ADMINISTRATIONE RERVM ad civitates pertinentium.

Rationes talis administrationis solebant à Provinciarum præsidibus inspici: quædam tamen civitates ab ea inspectione liberæ erant: Plinius & Trajanus 56. 57.

DE NVNDINIS.

Nundinæ sunt, ait Macrobius, paganorum itemque rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus provisuri. Saturn. I. 16.

Festus: *Nundinas feriarum diem esse voluerunt antiqui, ut rustici convenirent, mercandi vendendique causa, eumque nefastum, ne si liceret eum populo agi, interpellarentur nundinatores.* Solebat jus in agris nundinas habendi à senatu impetrari. Plinius v. 4.

DE POLLICITATIONIBVS.

Pollicemur sponte. Rogati promittimus. Servius ad Æneid. 1. Origo vocis ab iis, qui post alios, honores licitabantur.

DE EXTRAORDINARIIS COGNITIONIBUS. & si judex litem suam fecisse diceretur.

Ea quæ hoc titulo tractantur, maximè ad illa beneficiorum genera pertinent, de quibus agit Seneca VI. 14. & 15. quæ sine conventione quidem præstantur, sed animo tamen vicis exspectandæ: quæ cùm sæpe non redderetur, repertæ sunt hæ actiones, sicut ingrati apud Macedones, & populos alios quosdam. Vide 'Attaliatam XLIX. Omnes virtutum actiones venire possunt sub legum præscripta, si ita reipublicæ expediat.

L. 1.

Si (ut vulgari verbo impostorum utar) exorcizavit] Valde iniquus Christianis fuit Vlpianus, homo Tyrius, ut qui & de pœnis Christianorum scripserit libros complures.

Non quia, non religiosa res est, sed quia hoc primum profiteri eos oportet, mercenariam operam spernere] Sic & Papinianus in L. in honoribus. suprà, de vacatione & excusatione munerum: *Verè philosophantes pecuniam contemnunt, cujus retinendæ cupidine fictam adseverationem detegunt.* Egregiè dicta hæc: non quod non philosophiam docentibus multum debeamus,

752607

beamus, sed quod indignum sit philosopho, ut & jurisconsulto, mercedem petere. Xenophon I. Memorabilium: τὴν σοφίαν ὥσαύτως τῷ βουλομένῳ πωλοῦντας σοφιστὰς ὥσπερ πόρνας ἀποκαλοῦσι. *Qui cuivis volenti sapientiam venum exponunt, ii sophistæ vocantur, non minus infami vocabulo, quàm si meritorios dicas.* Sophistæ enim vocabantur, ut ait Cicero Acad. IV. qui ostentationis, aut quæstus causa philosophabantur. Magnificè Aristoteles Nicomachiorũ IX. I. τὴν ἀμοιβὴν ἢ ποιητέον κατὰ τὴν προαίρεσιν. αὕτη γὰρ τῆ φίλῳ καὶ τῆς ἀρετῆς. ἔτω δὴ ἔοικε καὶ τοῖς φιλοσοφίας κοινωνήσασιν. ἀ γὰρ πρὸς χρήμαθ' ἡ ἀξία μετρῆται· οὐμὴ τ' ἰσόρροπον ἂν αὐ γένοιτο· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν καθάπερ καὶ πρὸς θεὸς καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἐνδεχόμενον. *Reddenda gratia liberâ voluntate: ea enim est quæ amicum & virtutem decet: & sic facere oportet quibus philosophia communicata est. Neque enim ejus dignitatem pecuniâ metiri licet: par enim æstimatio haberi non potest. Sed fortè sufficit, ut adversum deos ac parentes, id quod dari potest.* Seneca de beneficiis II. 17. *Est intolerabilis res, poscere nummos, & contemnere. Indixisti pecuniæ odium: hoc professus es: hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est te pecuniam sub gloria egestatis acquirere.* Vicinam sapientiæ eloquentiam, bonarum artium principem Silius apud Tacitum Annalium XI. non fert sordidis ministeriis fœdari. Quintilianus pater declamatione CCLXVIII. *Nihil enim videtur philosophia habere præstantius, quàm quod modicis contenta est; ampliores opes non desiderat. Nam si cupiditates easdem, quas cæteri habent, non video quid prosit.* Et declamatione CCLXXXIII. quæ est patris abdicare volentis filium Cynicum: *Quod si abdicationem ferre non potes, si te carere hereditate malum judicas, deprehensus es, damno pecuniæ moveris, & detrimento famæ: & homo qui has ipsas opes quotidie incusas, tamen concupiscis.* Iustinus Martyr dissertatione cum Tryphone Iudæo, ait, se expertum

multos

multos magistros philosophos, postremò venisse ad Peripateticum, qui post paucos institutionis dies, pactum de mercede facere voluerit, ne inutilis sibi esset hæc consuetudo: se verò ab eo statim abscessisse, quod eum nec philosophi nomine dignum existimaret. Et Tatianus irridet philosophos, qui cùm nulla re opus sibi esse dicerent, interim opus haberent non coriario tantum ob peram, textore ob tunicam, fabro ob baculum; verùm & divitibus, & coquo gulæ explendæ causa. Capitolinus Marco: *Fama fuit quod sub philosopho-rum specie quidam & rempublicam vexarent, & privatos; quod ille purgavit.* Idem sensus in lege, Cari, Carini, & Numeriani: *professio & desiderium tuum inter se discrepant: nam cùm philosophum esse proponas, vinceris avaritia & rapacitate. Et onera quæ patrimonio tuo injunguntur, solus recusare conaris.* Et in illo Valentiniani & Valentis: *Turpe est ut patria functiones ferre non possit, qui etiam fortunæ vim se ferre profitetur.* L. Reddatur, C. de professoribus & medicis libro x. Themistius oratione IV. καὶ γὰρ εἰ σεμνὸν τὸ χρῆμα ἡ ἀληθινὴ σοφία, ἀλλ' ὅ γε αὐτῇ καταβάλλειν, ἀφυρόδεικτόν ἄξιον. *Quanquam enim honore dignus est habitus, & veri plena philosophia, non tamen oportet eam dejicere, efficiendo ut pecunia æstimanda videatur.*

DE CENSIBVS.

L. I.

Berytensis colonia in eadem provincia Augusti beneficiis gratiosa] Id est, κεχαριτωμένη. vide quæ ad Lucam I. 28.

L. Ætatem.

Tributo capitis obligantur] Vide ad Matth. XXII. 17.

L. VI-

752607

L. Vltima.

In Lysitania Tacenſes, ſed & Emeritenſes juris Italici ſunt] Coloniarum aliis dabatur jus Italiæ: aliis jus Latinorum, ut ait Aſconius ad Piſonianam. ex voce Italici depravata videtur vox in Hiſpania Hidalgo: quanquam alii filium alicujus, id eſt ingenui, alii ex Gothis ortum interpretantur.

DE PROXENETIS.

L. Si proxeneta.

Videamus an poſſit quaſi mandator teneri] Aut ἐγγυητὴς, quod conſtituit Plato duodecimo de legibus. Vbi ἐγγυητὴς, non eſt fidejuſſor pro pretio, ſed ſecundus auctor, ut Vlpianus loquitur, quod in Gloſſis exponitur βεβαιωτὴς, id eſt, pro evictione ſponſor. Verùm aliis legum conditoribus non placuit, aut venditori pro pretio, aut emtori pro re obligari pararium; ne ſic nimis periculoſum fieret hoc miniſterium mercantibus quotidie neceſſarium.

DE VERBORVM SIGNIFICATIONIBUS.

L. 1.

Verbum hoc ſi quis] Verbum, dixit non verba: quia longo uſu duo verba in unum coalüere, ut & in numquis & aliquis. Verbum hic ſume pro quavis parte orationis. Itaque quod in Baſilicis eſt, περὶ ῥημάτων σημασίας, id apud Harmenopulum eſt, περὶ ὀνομάτων σημασίας. Iuriſconſulti enim aliter, quàm grammatici, aut dialectici voces iſtas promiſcue uſurpant.

Tam maſculos, quàm fœminas complectitur] Sic & quiſquis feminino attribui oſtendit Nonius ex Livio Andronico: *Multer, quiſquis es, te volumus:* Cæcilio:

Cæcilio: *Quæso igitur quisquis es mea mulier:* Pacuvio: *Quisquis tu es mulier quæ me insueto nuncupasti nomine.* Nam & *quis*, olim pro utroque genere positum, ut Plautus: *Sed quis ea est mulier?* Et alibi: *Dic mihi sodes, quis ea est, quamvis ducere uxorem?* Sic & ablativo *qui* veniente à *quis* in feminino Virgilius utitur:

Quî cum partiri curas:

de Accaloquens. quod ni esset, tamen fert usus omnium gentium, ut ubi desunt communia, masculina pro communibus poni possint Hermenopulus: τὰ λεγόμενα ἀεὶ ἄῤῥενος ὡς ὅπι τὸ πλεῖστον, καὶ ἀεὶ θηλείας λέγεται. *Quando masculina enuntiantur, plerumque ea intelliguntur & de fœminis.* Vti in edicto, quem liberum, suprà de homine libero exhibendo. Est autem inversa locutio, *Tam mascolos, quàm feminas:* Pro, *tam feminas quàm masculus complectitur.* Quia de masculis nulla est dubitatio. Similes habes infrà, L. pecuniæ nomine, & in institutionibus de Legatis, §. Tam autem, & in L. solidum, D. de solut.

L. Vrbis.

Vrbis appellatio muris] Vrbes quasi orbes. Olim enim figurâ rotundâ erant. Varroni ab urvo, id est aratro, ut & urbare, arare Festo. Mos Hethruscus signandi aratro mœnia, ut Virgilius loquitur, unde muros concludere sulco, & similia.

Muris] Idem muri, olim mœri, & mœnia. N. enim in R. transit, ut contrà R. in N. æreus, æneus. œ autem & u sæpe commutantur. Ita idem mœnire & munire, cœrare & curare: Ovidius,

Phrygiæque tyranno
Ædificant muros, pacti pro mœnibus aurum.

Roma autem continentibus ædificiis finitur] Exempla vide infrà, L. ædificia, L. numquid, §. 4. suprà de

752607

de penu Legata. L. cum quæ, suprà de Legatis III.

Major pars est horarum septem] Iuvenalis:

Inque diem septeni oderit horas.

Primarum diei, non supremarum] In legibus scilicet ad negotia spectantibus. Nam à septima hora incipiebant gestari, lavari, epulari. Est vetus Epigramma Græcum:

Ἐξ ὥρας μόχθοις ἐκγυάπτεαι, αἰ δ' ὅ μετ' αὐλὰς
Γράμμασι δ' ἀκνύμβυα, Ζῆθι, λέγουσι βροτοῖς.

Vbi Scholiastes vetus: Φησὶ, δεῖ μέχρι τῆς ἕκτης ὥρας τῆ ἡμέρας ἐργάζεσθαι· μὴ δὲ ταύτην ἐπ' ἄριστον ἔρχεσθαι· τοῦτο δὲ φησὶ δηλοῖ τὸ ὡρολόγιον. τὰ γὰρ μὴ τὴν ἕκτην σημεῖα, τυτέστι τὸ Γ ἓξ ὥρας τὸ Ζ, ἓξ ὥρας τὸ Η, ἓξ ἐνάτης τὸ Θ, ἓξ δεκάτης τὸ Ι. καὶ συλλαβὰς σωματόμβυα ζῆθι δίδωσιν ἀναγινώσκειν, τυτέστι φωτὸς ἔπου, φάγε ἵνα ζῆς ἔχῃς. *Hoc dicit ad sextam usque diei horam laborandum est: post eam, eundum ad prandium, idque ipsum horologium indicat. Nam post sextam horam nota id est* Z, *pro septima*, H, *pro octava*, Θ, *pro nona*, I, *pro decima, simul collecta faciunt* Ζῆθι, *id est, edere te jubent ut vivere possis.*

L. Itinere.

Itinere faciendo, viginti millia passuum in dies singulos peragenda, sic sunt accipienda] Id est, ubi lex viginti millia passuum dat in dies singulos, ut tutoribus se excusaturis. L. scire. §. aliud, D. de excusationibus tutorum. Institut. §. qui autem, eod. tit. in eo qui ex cautione judicio sistendus est. L. 1. D. si quis cautionibus: in bonorum possessione admittenda. L. utile, §. si præses. D. quis ordo in possessione servetur. Vbi lex nihil definit, viri boni erit æstimatio, quanto tempore diligens patersamilias conficere iter possit. L. continuus, de verb. obligat. Solent autem judices in talibus plerumque id sequi quod lex in aliis definiit. L. si cui, §. tamdiu. Ex quibus causis majores.

jores. Millia passuum incipiebant à continentibus ædificiis, & in viis militaribus, per lapides signabantur. Passus hic intelligendi Geometrici, id est pedum quinque.

Si de die non conveniat] Quod sæpe fieri solet. L. de die, suprà, qui satisdare cogantur.

Ejus qui apud hostes est hereditas dici non potest, quia servus decessit] Nempe ex veteri jure. Servi enim successores non habent. L. servus C. comm. de legatis. Sed lex Cornelia facit, ut ejus sit hæreditas, rem ita sumendo, quasi is decessisset, quo tempore captus est.

L. Nominis.

Nominis appellatione rem significari] In Basilicis: τ γραμματείας. γράμματα, sunt rationes: inde γραμματεία, ut ἀπὸ τῆς τῶν γραμμάτων γραμματεία. Nomina sunt debita in codicem relata. Id Ciceroni & aliis est nomen facere. Asconius: *Tituli debitorum nomina dicuntur, præsertim in his debitis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecunia commodata sunt.* Hinc factum, ut & pro cautione nomen poneretur. L. si mulier, C. de pactis. Et frequentissime pro ipso debitore, ut cùm Cicero id se consecutum dicit, ut bonum nomen existimetur: & cùm Columella ait, vel optima nomina non appellando fieri mala, & cùm in senatusconsulto Macedoniano dicitur nullius posse filiifamilias bonum nomen exspectata patris morte fieri, & cùm Scholiastes ad Horatium nomina recta, interpretatur idoneos debitores. Res hîc est id quod debetur, τὸ κεχρεωστημένον πρᾶγμα, in Basilicis. Sic si quis nomen legaverit, id quod in actionibus est legatum intelligitur, non tabulæ tantum. L. qui chirographum, D. de legatis III. tabulas intellige, in quibus scripta nomina. Ideo Cicero in nominibus esse. & in tabulis, pro eodem ponit & opponit pecuniæ numeratæ.

L. Rei

752607

L. Rei appellatio.

Etiam ea quæ extra computationem patrimonii nostri sunt] Vt jura sepulchrorum, dignitates.

Cum pecuniæ significatio ad ea referatur, quæ in patrimonio sunt] Id inde, quia vetustissima possessio pecora, ut notat Columella, additque apud multas gentes unum hoc usurpari divitiæ genus. Comprehendit ergo pecuniæ vox, apud nostros auctores, non numeratam tantùm pecuniam, ut L. mutuum, §. creditum, D. de rebus creditis. L. 1. de Sc. Macedoniano. L. si verò, D. soluto matrimonio, sed & ipsa corpora. L. pecuniæ verbum, infrà, hoc tit. & jura. L. pecuniæ nomine, infrà, eodem hoc titulo. Et fructus. L. Ballista, suprà, ad Sc. Trebellianum. Quod verò dicitur in L. receptitia, C. de constituta pecunia, sub pecuniæ nomine omnes res exigi, intellige ex hoc loco, eas quæ in patrimonio sunt. Sic Horatius:

Et genus, & formam regina pecunia donat.

Et alibi:

Abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniis.

Et in Glossis: *Pecuniosus* πολυχρήματος.

Opere locato conducto. His verbis Labeo significari ait id opus quod Graci ἀποτέλεσμα vocant] Vt domum, navem, columnam, statuam, basim, apud Ciceronem: balneum, theatrum, stadium: L. si is, §. quædam. D. ad legem Falcidiam. Vsurpant sic vocem ἀποτελέσματος, Plutarchus & Polybius. Aristoteles etiam ἔργον hoc sensu usurpat initio Nicomacheorum, dicens ubicunque finis aliquis præter operam proponitur, ibi ἔργα, id est opera esse præstantiora ἐνεργείων id est operis. Qui opus facere debet, is propriam formam dare debet, quæ ex consummatione contingit. d. §. quædam. Quæ facti sunt, dividuitatem

non

non recipiunt, ut ibidem dicitur, & L. ſtipulationes non dividuntur, ſuprà, de verborum obligationibus. Perfeciſſe ædificium is demum videtur, qui ita conſummavit, ut uſui eſſe poſſit. L. ædificia, §. perfeciſſe, infrà, hoc titulo. Argentum cæptum fabricari, factum aliquatenus dicitur, quia plane ἄσημον, id eſt infectum non eſt L. cum aurum, §. infecti, D. de auro, argento mundo. Sed perfectum aut opus dici non poteſt. Plinius minor in Epigrammate.

Vt laus eſt ceræ, mollis cedenſque ſequatur
Si doctos digitos, juſſaque fiat opus.

L. Nominis.

Nominis & rei appellatio ad omnem contractum & obligationem pertinet] Non male illud, *rei*, hîc ſumas à nominativo reus. Reos appellatos, inquit Cicero, non modo eos qui arguuntur, ſed omnes, quorum de re diſceptatur. alibi: *reos appello quorum res eſt*. Sic ſtipulandi & promittendi reos dicimus.

Verbum ex legibus ſic accipiendum eſt, tam ex legum ſententia, quàm ex verbis] Vide quæ dicta ad legem, Scire leges, D. de legibus.

L. Sponſio.

Sponſio appellatur, non ſolum quæ per ſponſus interrogationem fit] Id eſt per illa verba, *ſpondes? ſpondeo.* ſponſus, ut ex ſponſu agere.

Sed omnis ſtipulatio promiſſioque] Vt *dabis? dabo.*

L. Verbum oportebit.

Verbum oportebit tam præſens, quàm futurum tempus ſignificat] Verbum, oportebit, ubi additur vocibus quicquid, ſi, quid, ſolet ἀορίστως ſumi. Sic & *erit*, infrà, L. verbum. Abſuturum eſſe. L. Noviſſime, D. ratam rem haberi. At contra, verbum,

752607

bum, oportet, ad futurum non refertur. Ideo addi solet oportebitve. L. si stipulatus, §. cùm stipulamur. L. si à colono, D. de verborum obligat.

Actionis verbo non continetur exceptio] Sunt enim hæc contraria. Exceptio actionem excludit. Actio datur per si: Exceptio per ni. Rectè tamen reus in exceptione actor est, id est, actoris partibus fungitur, quia suum ni probare debet.

L. Marcellus.

Verbo perisse, & scissum, & fractum contineri & vi raptum] Fio, væneo, pereo, sono sunt neutra, significatu passiva, oppositi activis facio, vendo, perdo. Pereunt res absolutè, si formam suam amittant, quod fit in rebus artificialibus, scindendo & frangendo, ita ut ubi id evenerit, abesse res dicantur. L. mulieris. L. Labeo, infrà. hoc titulo. Pereunt nobis, si extra potestatem nostram fiant, & desperata sit persecutio.

L. Creditores.

Ex quacunque actione] Putà commodati, pignoris. L. 1. D. de rebus creditis. Origo vocis credo est à do, id est, concedo, tanquam crevissem, id est, vidissem. Sed usus latiorem fecit significatum.

Vel persecutione] Persecutiones dicuntur ubi jus ordinarium deficit, ut in fideicommissis. L. pecuniæ, §. actionis infrà, hoc titulo.

Iure civili] Ius civile hîc honorario opponitur, non juri gentium, quod comprehenditur sub jure civili, quatenus à jure civili firmatur.

Sine ulla exceptionis perpetuæ remotione] Nam qui exceptione perpetua removeri potest, non est creditor. Qui exceptione temporali, similis est conditionali creditori. Ita nos docet Paulus, infrà, L. creditor autem. Paria sunt nomen suum non obti-

obtinere, aut vim nominis. Sic Vlpianus ait, cùm quis exceptione ſummoveri poteſt, eſſe quaſi nullam actionem. L. & eleganter, §. ſervus pactionis, D. de dolo malo. Sic & ἀκύρως, dicitur non dari actio, quæ exceptione ſubmovetur. L. 1. D. de Sc. Macedoniano.

Vel honorario] Prætorio, ut in actione de peculio, multiſque aliis, aut etiam Ædilitio.

Vel extraordinario] Vbi jure agere non poſſumus, ſed officium imploratur, ut jam jam diximus de fideicommiſſis. Paulus. L. quæ ſi, §. ultimo, D. de minoribus : *Ex hoc edicto nulla propria actio vel cautio proficiſcitur : totum enim hoc pendet ex prætoris cognitione.*

Vel ſub conditione] Nempe ſtipulata. Sic intellige L. conditionales, infrà, hoc titulo. Aliud in legatariis: nam is, cui ſub conditione legatum eſt, pendente conditione non eſt creditor : ſed tunc cùm exſtiterit conditio : quamvis eum qui ſtipulatus eſt ſub conditione. placet etiam pendente conditione creditorem eſſe. L. is cui, D. de obligationibus & actionibus.

Quod ſi natura debeatur, non ſunt loco creditorum] Nempe κατ' κυριολεξίαν : Quia lege eos deſtituente exigere nihil poſſunt. Sicut autem debitor intelligitur is à quo invito exigi poteſt. L. debitor infrà, hoc titulo : Ita creditor, qui poteſt exigere ab invito. Vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis XIV. 6. Dicitur tamen is cui natura aliquid debetur, creditor per κατάχρησιν quandam, per abuſionem, ut loquitur Iulianus. L. fidejuſſor, §. naturalis, D. de fidejuſſoribus, ſicut & Quintilianus VIII. κατάχρησιν transfert abuſionem. Itaque in dubio, & niſi res & verba aliud cogant, creditum intelligitur, cujus ex legibus petitio eſt. L. ſi is cui, §. Favius, D. de ſolutionibus & liberationibus. Attamen in illis natura debitis, ubi quid ſolvitur, ſolutio eſt,

non

752607

non donatio. L. Hoc jure, §. si quis servo, D. de donationibus: nempe quia legibus Romanis visum est talibus debitis accommodare jus non plenum, sed dimidiatum, aut minus dimidiato. Sic nec locupletior censetur, qui sua liberalitate ad remunerandum sibi aliquem naturaliter obligaverit, nisi re ipsa acceperit. L. sed etsi, §. consultus, D. de hereditat. petit.

Sed si non sit mutua pecunia, sed contractus, creditores accipiuntur] Quanquam initio creditum dici cœperit in mutuo, neq; tamen vocis origo obstat, neque usus impediit, quominus & in aliis contractibus idem nomen usurparetur, quod latius explicant leges sequentes.

L. Vt si cui ex emto.

Quod si ex populari causa] Malè legerunt Basilicorum concinnatores, *pupillari*, ἀπὸ τ ὀρφανικῆς. In populari actione singulis quidem jus est agendi, sed non ideo creditores dicuntur ante litem contestatam, aut locupletiores. L. populares, §. item, D. de populari actione. Iret enim alioqui res in infinitum. Nemo de populo non esset creditor. ideo pro talibus actionibus non placuit fideiussorem accipi. L. si quis, D. de fideiussoribus & mandatoribus. Simile est quod à populo manumissus populum in jus vocare sine venia prætoris non potest, singulos de populo potest. L. sed si hac, §. qui manumittitur, D. de in jus vocando. L. in tantum §. universitatis, D. de divisione rerum. Litis contestatio hîc idem facit, quod occupatio in littore, aut theatro; de communi facit proprium.

Minus solvit qui tardius solvit] Qua ratione qui tardius solvit, quàm solvere deberet, minus solvere intelligitur, eadem ratione qui præmaturè petit, plus petere videtur. Institut. §. si quis agens: D. de

D. de actionibus. Si in diem debitum purè legetur, utile est legatum. L. sin autem, D. de legatis. 1. Institut. de legatis, §. ex contrario. Et de fideiussoribus, §. fideiussores. L. solidum, D. de solutionibus. Locutio est multo longius à proprietate recedens, cùm minus solvere dicitur qui nihil solvit. infrà, L. minus hoc titulo. L. illud quoque, §. si cujus, D. de tributoria actione. Propriè minus est, cui aliquid deest, ut fiat solidum: nihilo nihil deest. sed mens eorum qui leges condidêre, hanc interpretationem exegit. Nam si minus quàm suum est recipienti consultum voluêre, quanto magis totum perdituro?

L. Mulieris.

Mulieris appellatione etiam virgo viripotens continetur] Tertullianus juris Romani peritissimus in docta disputatione de virginibus velandis, interpretans illud Apostoli de mulieribus, 1. Cor. xi. 6. dicit non exspectandum dum virum passæ sint, neque verò statim ut natæ sunt, dici mulieres: sed ex quo se intelligere cœperunt, & censum naturæ suæ intrare, & de virginis exire, & pati novum illud quod alterius ætatis est, ubi caro transfigurata est, vox obsolefacta, membra completa, pudor ubique vestitus, ubi menses tributa dependunt, unde & muliebria pati dicitur. Est alioqui vox mulieris in usu πολύσημος, & pro materia distinguenda. Mulier à mollitie, id est à patientia, ut ait Isidorus. Potest autem hoc nomen sumi aut de potentia remota, ut cùm etiam puellas quasvis comprehendit. L. servis, D. de legat. III. Sic enim mulieres dicuntur quæcunque sexus fœminini sunt. L. Argumento, §. muliebre D. de auro, argento. Aut de potentia propiore, ut intelligatur παρθένος ἔφηβος, ut loquuntur Basilica: Viripotens, ut L. Hæc autem, §. an prætor,

752607

tor, suprà, D. ex quibus causis in possessionem ~ eatur : Institutionibus de nuptiis in principio. Nubilis, ut loquitur L. hæc conditio, D. de conditionibus & demonstrationibus, & Virgilius:

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Qui sensus est Tertulliani, & legis hujus. Aut de actu ipso : quomodo mulier opponitur virgini: Vt, L. alioquin, D. de contrahenda emtione. L. ex emto, §. si quis virginem ~, D. de actionibus emti & venditi. L. si collactaneus de manumissis vindicta. Hoc sensu Cicero irrisus quod sexagenarius virginem duxisset, dixit, *Cras mulier erit.* Significationem primam ~, & tertiam, per illud loquendi genus quod ὀξύμωρον Græci vocant, miscuit Vlpianus. L. quæritur, §. mulierem, D. de Ædilitio edicto : *Mulierem*, ait, *quæ mulier fieri non possit.* Simile est hoc illis locutionibus : *Num capti potuere capi? si tacent, satis dicunt. Sequiturque sequentem.* Et similia.

Res abesse videntur (ut Sabinus & Pedius probat) etiam hæ quarum corpus manet, forma mutata est] Sunt multæ significationes vocis abesse. Absunt quæ in rebus humanis non sunt, ut in fine hujus legis dicitur. Abest qui non est eo loci, in quo loco petitur. L. absentem, infrà, hoc titulo. Qui extra continentia urbis est. L. collegarum, §. infrà, hoc titulo. Et d. L. absentem. Variant scilicet pro subjecta materia verborum significationes. Hîc abesse dicuntur res, quarum forma, quam Cicero speciem mavult dicere ~, † mutata est. Vide quæ dicta à nobis lib. 11. de jure Belli ac Pacis IX. 6. Harmenopolus hoc sic exponit: πράγματα ἀπεῖναι δοκεῖ ἐκ τούτων, ὧν τὸ μὲν σῶμα μένῃ, ἡ δὲ μορφὴ ἀλλάκται. διά τοι, ἐὰν διαφθορᾷ τὰ ἀποδοθῆ, ἢ καταπλασθέντα, δοκεῖ ἀπεῖναι. *Res abesse videntur, quarum corpore manente, forma mutata est, ita ut si reddantur corruptæ aut transfigura-*

tæ, dicantur abesse. Corpus hîc dicitur quod Græcis, ὕλη, Latinis vetustioribus nonnullis silva; vulgo, ut & Ciceroni & Senecæ, materia. Formæ magis quàm materiæ competere nomen ἕξεως, est Aristotelis sententia, vocatque eam, ὕπ λῶϊ ἴδ modò & ἐνέργειαν, aut ἐντελέχειαν. Mutata forma prope interimi rei substantiam dixit Iurisconsultus in L. Iulianus, §. sed si quis. D. ad exhibendum.

Et ideo si corruptæ reddítæ sunt] Vt si servo venenum datum est. L. & eleganter, §. non solum, D. de dolo malo. Si sit vulneratus. L. qui sibi, §. qui Stichum, D. de act. & obligat. si res exhibeatur deterior, d. §. sed si quis. L. Iulianus. L. sed mihi, §. si reddita, D. commodati. L. 1. §. si res deposita. D. depositi. Si pecunia quæ soluta est, sit improba. L. eleganter, D. de pignorat. actio: si res malè tractata, si servus debilitatus, §. in pignoratitia, eadem L.

Vel transfiguratæ] Vt si uniones & hyacinthi in novum ornamentum, additis margaritis & gemmis, sunt conversi: neque enim durat id quod in specie sua non permansit: sed quodammodo extinctum est. L. si re ab herede, D. de auro, argento. Quoddammodo dixit, ut prope interiisse modo habuimus. Substantia enim rei partim est in silva, partim in specie: sed prævalet species, cujus ergo data est silva. Itaque res commutata, atque etiam deterior facta videtur, etiamsi in meliorem statum conversa sit. L. ult. D. de usu & habitat. Omnis enim γένεσις, præcedentem habet φθορὰν, quod in naturalibus propriè, in artificialibus minus propriè, verè tamen ob naturæ imitationem, dicitur.

Quoniam plerumque plus in manus pretio, quàm in re] Sic Ovidius:

Materiam superabat opus.

Manus enim pro opere. Petronius: *Nam & Zeuxidis manus vidi.* Solinus: *Hæ ædes Dædali manus ostendunt.*

752607

ostendebant. Dicitur manus pretium; ut apud Tertullianum de idololatria: *Sed de mercedibus & manus pretiis interest*. Contractè manupretium. Vt L. qui insulam, §. qui ædem: *Pro lapide & manupretio dominus redemtori in pedes singulos septem dabit*. Varro: *Manupretium à manibus est & pretio*. Et alibi: *A manu manupretium*. Cicero in Pisonem: *Quum verè ista provincia tibi manupretium fuerit, non eversæ per te, sed perditæ civitatis*. Et in III. Verrina: *Machinæ manupretium*. Ad quem locum Asconius ita ut à Franciſco Hotomanno est editus: *Manupretium dicitur, ubi non tam materiæ ratio, quàm manus atque artis ducitur*. Idem dicitur pretium operæ. L. cùm duobus, §. utrum, D. pro socio: Pretium rerum non in substantia, sed in arte positum. L. sequente hoc titulo.

Desinere autem abesse res tum videtur] Hoc spectat ad L. Attiniam, quæ rem furtivam non ante vult posse usucapi, quàm in potestatem ejus, cui subrepta est, reversa sit. L. sequitur, §. quod autem, D. de usucapionibus, hoc est, postquàm ad dominum redierit, ut loquitur L. inter omnes, D. de furtis. Vitio rei purgato: Institutionibus de usucapionibus, §. aliquando.

Cum sic redit in potestatem, ne amittere ejus possessionem possimus] Idem est cum eo quod dicitur in d. l. sequitur, §. tunc autem. In potestate domini rediisse dicendum, cùm possessionem ejus nactus sit justè, ut amitti non possit, & tanquam suæ rei. Neque enim videtur possessionem adeptus is, qui ita nactus est, ut retinere non possit. L. non videtur, D. de acquirenda possessione. Neque illud *justè* immeritò addit Paulus. Nam si dominus fundi possessorem vi dejecerit, non videtur in potestatem ejus rediisse, quandoquidem interdicto unde vi restituturus est possessionem. d. l. sequitur, §. si dominus. Quod pari modo ad res mobiles, in quibus furtum fit, transferri

debet. L. 1. §. rem autem, & L. sequenti, D. de condictione triticiaria. Vt ergo usucapio procedat, requiritur vitium rei sit purgatum, & dominus sciat rem sibi fuisse substractam. L. qui fundum, §. furtiva res, suprà, pro emtore: ut redierit res in possessionem justam d. §. tunc autem, ut norit dominus esse reversam. L. si ad dominum, D. de furtis.

Ob hoc quod furto pridem substracta est, abest & ea res, quæ in rebus humanis non est] Quia jam tunc abesse cepit, cùm furto substracta est: eaque causa prior quàm secutus rei interitus. Sive igitur maneat res, sive non maneat, abesse rectè dicitur. Abest etiam id quod in rerum natura esse desiit, & deperditum dicitur. L. deperditum, D. de hereditatis petitione. Dicitur res interire, quæ nulla relinquitur. L. verum est, §. Vtrum, D. pro socio. Atque ideo talis rei & ususfructus & societas interit: sed hîc, ut diximus, spectatur id quod prius evenerat.

L. Labeo.

Si vestimentum scissum reddatur] Vide quæ dicta ad legem præcedentem, §. res abesse.

Item si dominus rem quæ furto sibi aberat, ignorans, emerit] Nam qui sciens emit, repetere quod solvit non potest. L. suæ rei emtio, D. de contrahenda emtione.

Rectè dicitur res abesse] Nam & pretium res est, & abest quod frustra datum est. Vtilitas æstimationem facit. L. si vendidero, §. cùm autem, D. de furtis. Non idem est res, & ejus rei pretium. Sticho vendito & mortuo non debetur ejus pretium. L venditor, D. de hereditate, vel actione vendita. Nummi ex re furtiva redacti non sunt furtivi. L. si quis uxori, §. si Titius. Et L. qui vas, in fine, D. de furtis. Attamen efficit negotiorum quorundam natura, & verba, ut pretium loco rei

752607

rei succedat. In actione quod metus causa, locupletior censetur factus qui pecuniam habet pro re. L. si ipsa res, D. quod metus causa. Sic & petitori hereditatis restituitur pretium, quod in locum rei hereditariæ successit. L. si & rem, D. de hereditatis petitione. Sic rogatus restituere quicquid ex hereditate supererit, si de pretio rerum venditarum alias comparat, nihil diminuisse videtur. L. Imperator, §. cum autem, D. de legatis 11. Sic rebus in dotem datis, quæ pondere, numero, mensura constant, sufficit ejusdem generis & qualitatis alias restitui. L. res in dotem data, D. de jure dotium.

Rem amisisse videtur, qui adversus nullum ejus persequendæ actionem habet] Qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur. L. is qui, infrà de regulis juris. Ac proinde non penitus amisisse, habere videtur quis, de quo habet actionem. Habetur enim quod peti potest, infrà. L. id apud, hoc titulo. Vbi bene, videtur, quia actio proximè ad rei naturam accedit: quanquam reipsa minus est actio quàm res. L. minus, infrà, D. de regulis juris. L. sciendum, §. diversa, D. qui satisdare cogantur. Sed & actio ipsa res est, & in bonis esse dicitur. L. rem in bonis. D. de acqui. rer. dom. L. ult. D. de usu & usufructu legato. L. meorum, & L. bonorum, infrà, hoc titulo. Actionem habenti par est is, quem se prætor in integrum restituturum pollicetur. L. nemo, D. de in integrum restitutionibus.

L. Bona.

Bona civitatis abusive publica dicta sunt] Publica dicuntur à populo, olim poplica, sicut Publicola δημοσιδης, Plutarcho interprete. At jure Romano cùm populus dicitur, intelligitur Romanus, ac propterea in eodem jure, vox publici de

eo intelligitur, quod populi Romani est, quod & leges duæ sequentes ostendunt. Vbi ergo in eodem jure aliarum civitatum bona dicuntur publica, abusio est, non contra vocis originem, sed contra usum magis receptum. Sic & urbem intelligimus Romam; & jus civile, jus Romanum. Lex Iulia peculatus adversus eos erat, qui rem aliquam subripuissent publicam. L. 1. D. ad legem Iuliam peculatus. Vt ea lege tenerentur, qui rem civitatis subripuissent, non ex vi venit vocis, sed ex novis constitutionibus Trajani, & Adriani. L. lege Iulia, §. sed etsi d. t. ad legem Iuliam. Vnde probatur Alciati emendatio in L. ut pecuniam. D. de furtis. *Nec non crimine peculatus* pro *non*. Est enim ea lex Papiniani, qui post Adrianum vixit. Opponuntur respublica & civitates in L. sed etsi, §. item inquit, D. ex quibus causis majores. Est tamen ubi civitates respublicæ vocantur. L. 1. § si tamen, D. de Ædil. edict. L. ad rempublicam, de minoribus. L. bonis, §. respublica, de privilegio creditorum. L. mancipia, Cod. de servis fugitivis. C. de jure Reipublicæ, toto titulo in libro XI. C. de præbendo salario libro X. Vt rempublicam Byzantiorum habes apud Plinium libro X. epist. 52. sic opera publica. L. si in alium, §. ædes, suprà, de officio proconsulis. Ius publicum. L. ut inter, C. de sacrosanctis Ecclesiis. Bona publica. L. 1. suprà, de rerum divisione. L. usucapionem, D. de usucapione. Ideo prudenter dixit Cajus in lege sequente, publicam appellationem in compluribus causis ad populum Romanum respicere. non enim in omnibus.

Publicanum appellamus] Ipsum enim vectigal publicum eximiè dicitur. Cicero ad fratrem: *Publicis malè redemtis.* Publicani dicti & mancipes, & qui decimas redimebant decumani: qui pascua publica sive scripturas, pecuarii. Asconius in divinatione.

Civi-

752607

Civitates enim privatorum loco habentur] Nihil interest filiofamilias privatus crediderit, an civitas. Æque enim locum habet Senatusconsultum Macedonianum. L. nihil interest, suprà ad Sc. Macedo. Ædilitium edictum ad venditiones fiscales non pertinet: si civitas venditionem fecerit, locus erit edicto. L. 1. §. illud sciendum, & §. si tamen, D. de Æd. ed.

L. Inter publica.

Inter publica habemus non sacra, nec religiosa, nec quæ publicis usibus destinata sunt] Hoc non generaliter intelligendum est. Nam sub publicis etiam sacra comprehendit ipse hic Vlpianus. L. 1. D. de justitia & jure: & peculator est, ut Asconius definit, qui furtum facit pecuniæ publicæ. Et titulus de peculatu in Basilicis inscribitur, περὶ τῶν τὸ δημόσια χρήματα ὑφελομένων. Et in Glossis: *depeculatio*, νοσισμὸς δημοσίων χρημάτων. Tenetur autem peculatus & qui rem sacram vel religiosam furto fustulit. L. 1. & L. lege Iulia, D. ad legem Iuliam peculatus. Publicis usibus destinata sunt theatra & stadia civitatum, quæ publica opera vocantur, in L. si in aliam, De officio Proconsulis. Sed nimirum libro decimo ad edictum, unde hæc lex desumta est, interpretabatur Vlpianus edicta quædam ad civitates, eorumque res pertinentia, ut apparet. L. sicut, D. quod cujuscunque universitatis nomine: eandemque materiam persecutus est libro undecimo, ut videre est in L. ad rempub. suprà, de minoribus. In hoc ergo edicto apparebat ex materia, & circumstantiis, publicum sumi de bonis civitatum.

Publica vectigalia intelligere debemus: ex quibus vectigal fiscus capit] Puto vocem; vectigalia, ex

Gloſſa natam. Vectigal dictum eſt à vehendo. Et eſt propriè id quod in itinere ſolvitur. L. ſi quis, ſuprà, De donationibus inter virum & uxorem. Sed ab origine longius porrecta eſt ſignificatio, & ſic vectigal fructibus impoſitum dicit Cicero pro Fonteio. Item vectigal ex portu, decumis, ſcriptura, id eſt paſcuis. Hinc agri vectigales in jure, vectigalis Iudæorum libertas apud Tertullianum.

Quale eſt vectigal portus] Cui nomen proprium portorium. Lucilius:

Facit idem,
Quod ii, qui inſcriptum in portu exportant clanculum
Ne dent portorium.

Cicero dicta oratione pro Fonteio: *Titurius Toloſa quaternos denarios in ſingulas vini amphoras portorii nomine exegit.* Sed & hæc vox uſurpata laxius, ut apud Ciceronem in Piſonem: *Singulis rebus quæcunque venirent, portorium impoſuit*, id eſt venalitium, ut loquitur. L. jubemus, C. de proximis ſacrorum ſcriniorum libro XII. vectigalia ob venditionem. L. 1. C. de veteranis. Erat plerunque octava. L. ex præſtatione, C. de vectigalibus. L. Romanæ, C. de Eunuchis. Hinc octavarii dicti, in L. à legato, C. tit. de vect. qui olim portitores, quibus aſſidebant milites ſtationarii, ut nos docet Dio libro LIV. & L. univerſi, C. tit. de vectigalibus.

Salinarum] Vectigal ſalinarum, id eſt ex ſalinis, habes. L liber homo, D. de hered. inſtituendis. L. ſi quis d. t. C. de vectig. Ampliſſimas publicanorum familias in ſalinis fuiſſe dicit Cicero. Eos mancipes vocat, d. l. ſi quis ſine.

Metallorum] Sicut qui ſalinas, ita qui metalla habent, conducta ſcilicet, publicanorum loco ſunt, L. ſed etſi, D. de publicanis. Solebat de illis metallis fiſco dari decima, L. cuncti, C. de metallariis, libro XI.

Et

752607

Et picariarum] Cicero de claris oratoribus: *Societas quæ picarias de P. Cornelio, L. Nummio censoribus redemisset.* Est quædam, Plinio teste, pix fossilis: ejus fodinæ picariæ, uti cotium cotariæ: L. Cæsar, D. de publicanis.

L. Munus.

Munus tribus modis dicitur] Legendum est *dici*, ut ostendunt sequentia. Sunt enim Pauli verba curtata. Est hæc divisio ὁμωνύμων, in sua significata, quæ omnia inter se agnationis habent aliquid. Μονὴ, & inde μενὴ, est id in quo versamur quotidie. Hinc munus suum, aut munia exsequi, est officium facere, ut interpretatur Nonius. Officium est actus cuique personæ congruens, dictum ab efficiendo, eadem mutatione, quæ & officinam fecit dici in qua res efficiuntur, sicut tabernæ sunt in qua væneunt. Actus ille congruens, interdum ipsum vitæ genus respicit, quo sensu dicimus, hoc esse munus medici, aut grammatici: interdum respicit alterum, putà amicos, quibus officia debemus, id est beneficia: unde officiosi, qui libenter præstant talia. Et quia dona in hoc genere magnam partem obtinent, inde dona dicta sunt munera, & ii qui libenter donant, munes, & munifici. Quanquam Iurisconsulti distinguere voluerunt, ut munus sit id tantum quod ex causa datur. L. inter donum, infrà, hoc titulo. Ex simili etiam spectacula quæ populo dabantur, munera dicta, ut gladiatoria apud Suetonium Cæsare: bestiarum apud eundem eadem vita, & apud Martialem aliquoties. Munerarius, qui ea munera exhibet, apud eundem Suetonium Domitiano, & Quintilianum. Interdum actus ille congruens nobis, respectum ad patriam habet. Et sic consulatum, censuram, præturam, ædilitatem, quæsturam, proconsulatum modò officia dicimus, modò munera: quan-

quam & hic Iurisconsulti discrimen quærentes, volunt munus esse, quod cum magna dignitate conjunctum non est, sed cum sumtu: L. honor, D. de muneribus. Quo respiciens Modestinus, ait honorem sustinenti, munus imponi non posse: munus sustinenti, honorem deferri posse. L. honorem, D. d. t. de muneribus. Hinc dicti municipes, qui in sua patria munus capere possunt; oppositi incolis, ut diximus titulo ad municipalem. Debemus patriæ & tributa & vectigalia, à quibus qui liberi sunt, immunes dicuntur: id est vacantes munere, ut Festus interpretatur; sine damno, ut Scholiastes ad Horatium. Sed & quæ milites debent, munia. dicti inde munifices: quæ lectio hîc restituenda ex Sosipatro & Vegetio. Munifex munere fungitur, ait Sosipater. Munifices appellantur, quia munia facere coguntur, ait Vegetius II. 7. & capite 9. ejusdem libri: *Fascicularia tamen, id est lignum, fœnum, aquam, stramen, etiam legitimi milites in castra portabant. Munifices enim ab eo appellantur, quòd hæc mœnia faciant.* Ad hæc munia pertinent vallum, fossa, pabuli, materiæ, lignorum aggestus, apud Tacitum Annal. I. Ab his liberi qui erant, dicebantur principales: aut etiam beneficiarii. Eos enim Festus interpretatur, qui vacabant muneribus beneficio. Ita enim legendum est, &, beneficio, intelligendum Imperatoris, ut ex Cæsare & Suetonio in Tiberio intelligimus. E contrario, ait Festus, *Munifices vocabantur, qui non vacabant, sed munus reipublicæ faciebant.* Vides connexum trium significatuum. Eorum duos habes apud Festum in voce, *munus*.

L. Labeo.

Quædam aguntur, quædam geruntur, quædam contrahuntur] Cùm dicat prætor in edicto, Quod cum minore quàm XXV annis gestum esse dicitur: hac sumta

752607

sumta occasione explicavit Labeo, quid sit gerere agere, contrahere. Non idem esse agere, facere, & gerere ait Varro libro quinto. Poëta facit fabulam: Actor agit. Imperator res gerit, id est, velut onera sustinet.

Actum generale verbum est, sive verbis, sive re quid agatur] Varro paulo ante: *Actionum trium primus agitatus mentis, quod primum ea quæ sumus acturi, cogitare debemus: deinde tum dicere: ac postremo facere. De his tribus minimè putat vulgus cogitationem actionem esse, tertium in quo quid facimus, id maximum. Sed & cùm hoc agitamus, quid & in eam rem cogitamus, in mente agimus: & cùm pronuntiamus, agimus. Itaque ab eo orator dicitur agere causam; & augures agere augurium dicuntur, cùm in eo plura dicant quàm faciant. Qui gerit aliquid, etiam agit.* Itaque Vlpianus in tractatu de negotiis gestis, ait: *Eum actum, quem quis in servitute egit, manumissus non cogitur reddere:* Mox id explicat his verbis: *Quod in servitute gestum est.*

Vt in stipulatione] Vbi verbis agitur.

Vel numeratione] Vbi re agitur.

Contractum autem ultro citroque obligatorium, quod Græci συνάλλαγμα vocant, veluti emtionem, venditionem, locationem, conductionem, societatem] Hæc est maximè propria contrahendi significatio. Sic Cicero in officiis: *Qui vendunt, emunt, conducunt, locant, contrahendisque negotiis implicantur.* Item: *Convenit autem in omni re contrahenda, vendendo, emendo, conducendo, locando, æquum & facilem esse.* Largius sumitur ut comprehendat ea, in quibus ab uno tantum latere est obligatio. Inst. de obligat. §. sequens. L. 1. in princip. D. de obligat. quale est mutuum, Inst. quib. mod. re contrah. obligat. in principio. donatio: L. si dominus, C. de his quæ vi metusve causa. L. si quis emtionis vel donationis, C. de præscriptionibus XXX. vel XL. annorum. Stipulatio:

L. 1. §. conventionis, D. de pactis. Largissimè sumitur, ut etiam solutionem, quæ potius διάλλαγμα est, sive distractus, comprehendat. Inst. quibus mod. re contrah. obligat. §. is quoque, & pro transactione qualibet, d. l. si donationis. Et obligatione qualibet, etiam ex delicto. L. omnem, D. de judiciis. Nam & qui delinquit, aliquo sensu contrahit, ut diximus libro 11. de jure Belli ac Pacis xx. 2. Significatione illa maximè naturali contractus est factum, (ita appellatur in L. consilium, §. ult. D. de curatore furiosi) ex quo suapte natura nascitur utrinque obligatio. Suapte natura dico: Nam quod qui sine tutoris auctoritate contrahunt, obligantur, nec tamen obligatum habent pupillum, ex beneficio est legis, pupillis omni modo faventis. Inst. de auct. tutorum. L. Iulianus, §. si quis à pupillo, D. de actionibus emti & venditi: contra juris communis normas. L. quid tamen, §. sed si in aliquem, D. receptis qui arbit. recep. Contrà, odio mandatarii, fines mandati excedentis, introductum est ut ei actio non detur: adversus eum detur. L. potest, D. de mandatis.

Συναλλαγμα] Confer L. jurisgentium, §. sed etsi. D. de pactis, & Aristotelem Nicomacheorum v. 5.

Gestum rem significare sine verbis factam] Id est etiam sine verbis. potest etiam sine verbis onus suscipi, ut in negotiorum gestione. Inter gesta & facta, subtilis quædam est differentia: καταχρησικῶς, nihil interest, ait Cajus in L. licet, infrâ, hoc titulo. Ad edictum quod cum minore gestum esse dicetur, Vlpianus gestum ait accipi qualiter qualiter, sive contractus sit sive quod aliud contigit: unde id edictum generale Cajus vocat, L. necessariis, D. de acquirenda vel amittenda hereditate. Propriè loquendo, qui testatur, facit testamentum, & agit aliquid, non gerit, ut

docebit

752607

docebit lex quæ sequitur: Neque enim onus sustinet, sed onere se levat. Agere, vox propria est testamento. Inst. de testamentis ordinandis, §. sed neque: item facere testamentum, ut in titulo digestorum: inde testamenti factio.

L. Princeps.

Princeps bona concedendo, videtur etiam obligationes concedere] Paulus ad edictum agens de restitutionibus, quæ per prætorem fiunt, aliquid addere voluit etiam de ea restitutione, quæ fit per Principem, quæ omnibus aliquem restituit, ut ait. L. 1. C. de sententiam passis: quia æquum est, Principum beneficia quàm plenissime intelligi. L. beneficium, suprà, de const. Principum. Cujus rei exemplum habes in L. si quando annotationes, C. de bonis vacantibus. Venit autem etiam sine ulla extensione, sub bonorum nomine id, quod in actionibus, petitionibus, persecutionibusve est, ut jam modò diximus. Et obligationes hoc loco, ἀγωγὰς, id est actiones, vertunt Basilica. Sed & obligationes in ipsum unà restituuntur. L. si deportationes, C. dict. tit. de sententiam passis. Et L. in insulam, D. eodem titulo. Cui enim bona addicuntur, in eum & actio transfertur. L. cum fisco, D. ad SC. Silan. L. eum qui bona vacantia, D. de jure fisci. Bona enim in hoc argumento intelliguntur cum ære alieno, ut & L. nam quod. §. sed & si quis, & L. cogi poterit, D. ad Sc. Trebell.

L. Plus est.

Plus est in restitutione, quàm in exhibitione] Tractavit hoc Cajus ad edictum provinciale de restitutionibus: ibique explicavit restituere dici non eum tantum, qui in integrum, aut, ut Cicero loquitur, in antiquum statum restituit: sed & restitui dici eum, qui rei possessorem aliquem facit, & fructus,

ctus, aliaque omnia reddit, id est, Pauli verbis ut utar, infrà. L. restituere, hoc titulo, qui id restituit quod habiturus esset actor, si controversia ei facta non esset; aut juxta Pomponium, qui non solùm corpus, sed etiam qui omnem rem, conditionemque, reddita causa, præstat. L. ult. infrà, hoc titulo. Et benè fructus nominat Cajus: nam verbum, restituas, plenam habet significationem, ut fructus quoque restituantur. Quod & in Faviana, & in Pauliana observari ait Paulus. L. videamus, § in Faviana, D. de usuris. Verè ergo dicitur, latiùs patere vocem restituendi, quàm exhibendi. Nam exhibere nihil aliud est quàm corporis præsentiam facere ut ait hæc lex, aut ut loquitur illa ultima, præstare ejus de quo agitur præsentiam; aut, ut dicit L. locum habet, §. quod sic, D. de tabulis aperiendis, materiæ apprehendendæ copiam facere; de homine verò est, in publicum producere, & videndi tangendique ejus facultatem præbere. Vlpianus in L. quod & lex, §. ait prætor, D. de homine libero exhibendo: ubi & originem vocis indicat, dicens, propriè (id est κατὰ τὸ ἴδιον) exhibere esse extra secretum habere: Paulus facere in publico potestatem. L. exhibere est, D. ad exhibendum.

L. Rei appellatione.

Rei appellatione & causæ, & jura continentur] Rei appellatio valde generalis est. L. 1. in fine, D. de rebus creditis, ut τὸ ὄν Græcis. Ideoque & causas, ut fructus, & jura, & servitutes complectitur: non minus, quàm vox pecuniæ. Etiam actiones res sunt: sed quia aliud nomen speciale non suppetebat, contracta est rei significatio, ut opponi actionibus posset.

NIHIL

752607

NIHIL ALIVD EST hereditas.

Nihil aliud est hereditas, quàm successio in universum jus quod defunctus habuit] Est hæc pars desumta ex libris Caii ad edictum provinciale, quo in loco de petitione hereditatis Cajus egerat, ut in titulo Digestorum ejus argumenti apparet. Eadem definitione Iulianus utitur. L. hereditas, infrà, de R. I. Origo nominis est inde, quod heres in veteri lingua Latina, idem erat quod herus, quanquam in hac voce corripitur prior syllaba, quæ in altera producitur. Qualis permutatio in Græcis dialectis frequens est. Heres apud antiquos pro domino ponebatur ait Festus: in Glossario est *heres χύριος*. Idem habemus Inst. de heredum qualitate & differentia. Plautus de palla:

Abstuli hanc, cujus heres nunquam erit post hunc diem. Hereditas ergo primum dicitur successio. Nam hereditatis appellatio, universitatem quandam, ac jus successionis, & non singulares res demonstrat. L. bonorum appellatio. L. heredis, infra, hoc tit. Successio est vocabulum juris civilis. Ideo bonorum possessor propriè heres non est, neque enim prætor heredem facit, Inst. de bonorum possessionibus, §. quos autem: & de auctor: tutorum, §. neque tamen. Censetur tamen pro herede. L. in conditionibus, §. si patronus, D. de condit. & demonst. L. si quis, §. sed quid si, D. de acquirend. vel amittend. hereditate. L. Prætor, infrà, de Regulis juris antiqui. Hinc factum, ut contra nativam significationem, sæpe hereditatis appellatione, bonorum quoque possessio contineatur. L. hereditatis, infrà, hoc titulo; nempe ex vi materiæ, de qua agitur. Est autem hereditas successio, non ipsa corpora quæ in successione sunt. Inst. de rebus corp. & in corpor. Itaque

que ἀκωφελογεῖ Cicero cùm hereditatem definit esse pecuniam, quæ morte alicujus ad quempiam pervenerit, nec ea aut legata testamento, aut retenta possessione. Neque rectè Iurisconsultorum subtilitatem irridet Seneca dicentium usucapi res hereditarias, non hereditatem. Additur successioni illud in jus. Rectè: est enim heres ejusdem potestatis, jurisque ejus cujus fuit defunctus. L. heredem, infrà, de R. I. & heredes juris successores. L. quoties, §. heredes. D. de hered. Inst. L. cum heres, D. de diversis & temporalibus præscriptionibus. Est enim hereditas juris nomen. L. hereditatis, & L. pecuniæ, §. hereditas hoc titulo. Neque simpliciter in jus dicitur, sed in jus universum: nam rerum singularium non est hereditas. L. bonorum appellatio, infrà, hoc tit. & ideo in Basilicis additur, ὁλόκληρον. Heres in universum succedere dicitur, & in L. si rem legatam. suprà, de except. & ideo alii etiam qui in universum jus succedunt heredum loco habentur. In pari, §. 1. infrà, de R. I. Et hæc quidem apertissimè locum habent ubi unus est heres: verùm etiam ubi plures instituti sunt heredes, Particulones vocantur apud Nonium. Et tamen in universum jus succedunt pro partibus indivisis. Nam certæ rei causæve heres institui non potest, neque patitur jus Quiritum, ut quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedat. Inst. de hered. inst. §. hereditas. L. jus nostrum, infrà, de R. I. At is qui restituere hereditatem rogatus est, etiam postquam restituit, heres manet. Inst. de fideicomm. hered. §. restituta. Is verò cui restitutio facta est, sæpe legatarii loco habetur, d. §. restituta. In oneribus tamen habetur pro herede. Inst. d. t. de fideicomm. heredit. Ius universum verò describitur id quod defunctus habuit. viventis enim nulla est hereditas. L. 1. suprà. de hereditate vendita. unde sequitur pro herede,

752607

herede, ex vivi bonis nihil usucapi. L. 1. D. pro herede.

L. Rectè dicimus.

Rectè dicimus eum fundum totum nostrum esse, etiam cum usufructus alienus est] De vocibus nostrum, meum, tuum, esse cujusque, multa habemus hoc titulo. Hic vero quæstionem facit vox *totus*: an rectè fundus totus dicatur noster, in quo alius habet usumfructum. Affirmatur hic de fundo, quod & de servo. L. si quis suos servos, D. de legatis III. & Inst. de hered. inst. in principio. Dominus enim censetur, qui proprietatem habet, etsi ususfructus sit alienus. L. 1, §. 1. ad Sc. Silan. Hinc facta servo injuria, ei facta videtur, qui proprietatem in eo habebat, non qui usumfructum. Inst. de injuriis, §. quod si. Rationem hujus definitionis reddit hic Iurisconsultus, his verbis: *Quia ususfructus non dominii pars, sed servitutis sit. Servitus* habent codices alii. Sed etiam rectè dici potest ususfructus esse servitutis, id est, ad servitutis genus pertinere. Vsusfructus in jure, non in parte consistit. L. Mævius, §. fundo, D. de legat. II. fundi jus est. L. si à reo, §. si reo, D. de fidejussoribus. Attamen alibi dicitur pars dominii. Sed sciendum partes esse duûm generum: ἐσιαίδεις, sine quibus res esse non potest, quomodo hominis partes sunt corpus & anima: & συνπλεγικὸς, quæ efficiunt, ut aliquid integrum, perfectumque sit, quomodo digitus est pars hominis. Potest dominium esse sine usufructu; sed non est integrum, non est plenum. quia in dominii plenitudine est jus, re quovis modo & utendi & abutendi. Regula est, ut qui accepto facit, totum vel partem ejus quod stipulatus est accepto facere debeat. Qui fundum stipulatus est, usumfructum accepto facere non potest, ait Vlpianus. L. & per, §. illud certum est, D. de acceptilationi-

ptilationibus: & causam reddit, quia pars non est fundi, non magis quàm cæmenta, vel paries, pars domus. Vbi partem manifestum est sumi pro parte, quam diximus ἀστιώδη. Contrà verò, quia pars etiam alterum illum habet significatum, ita fit ut in multis casibus ususfructus pars sit dominii, quemadmodum L. ususfructus, D. de usufructu; nempe ubi ea, quæ rei, de qua agitur, connexa sunt, aut benignior interpretatio, quæ in testamentis maximè locum habet, id exigunt. Hinc fit, ut si quis alii fundum, alii usumfructum ejusdem fundi legaverit, ususfructus inter eos communicandus sit. L. si alii, D. de usu & usufr. legato: nempe quia fundus, id est fundi dominium, ut plenum sit, etiam usumfructum requirit. Imo & si quis fundum legaverit, ususfructus verò non testatoris, sed alterius sit, legatarius etiam usumfructum rectè petet, isque ab herede erit redimendus. L. Mævius, §. fundo, D. de legatis 11. Idem erit, si fundi, qui legatus sit, usumfructum jam ante habuerit ipse heres, quia fructus portionis instar obtinet, ut ait L. cum filius, §. dominus d. t. de legatis 11. Etiam in stipulationibus qui usumfructum fundi stipulatur, deinde fundum, similis est ei qui partem fundi stipulatur, deinde totum: quia fundus dari non intelligitur, si ususfructus detrahatur. Et è contrario, qui fundum stipulatus est, deinde usumfructum, similis est ei, qui totum stipulatur, deinde partem. L. qui usumfructum, D. de verb. obligat. Et quæsitum fuit, an reo in fundum obligato, fidejussor in usumfructum datus obligetur. causa dubitandi, quia potest fidejussor in minus obligari, non in aliud. Si ususfructus pars est, valebat fidejussio. & hæc sententia prævaluit, ut aliquid potius actum sit quàm nihil. L. si à reo, §. si reo, D. de fidejussoribus. In quibus locis omnibus, fundus idem est, quod dominium fundi plenum. quamobrem fundi de-

752607

di debitor, fundum solvendo detracto usufructu non liberatur. L. eum qui ita, §. si ita à te. D. d. t. de verbor. obligat.

S. Silva.

Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit, quam Græci νάκλιν, vocant] In Basilicis rectè νέασιν: in Glossis νέασις, *Novalia, novalis terra.* Varro: *Qui intermittitur à novando, novalis ager.* Festus: *Novalis ager, novæ relictus sementi.* Plinius: *Novale quod alternis seritur.* Isidorus: *Novalis ager est primum proscissus, sive qui alternis vacat, novandarum sibi virium causa. Novalia enim semel cum fructu erant, & semel vacua.*

L. Detestatio.

Familiæ appellatione liberi quoque continentur] Ex Æolico, Φαμυδία, ab eo quod sint una, ἁμυδις. Familiares dicimus, quibus cum sæpe sumus. Id nomen etiam servis communicatum est benignitate quadam. Macrobius Saturnal. lib. II. *Tu modò vive cum servo clementer. Comiter quoque & in sermonem illum & nonnunquam in necessarium admitte consilium: nam & majores nostri, omnem dominis invidiam, omnem servis contumeliam detrahentes, dominum patrem familias, servos familiares appellaverunt.* Ex eo contractum famul apud Ennium, & famulus: Festus: *Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux, & princeps generis vocabatur pater & mater familia. Vnde familiæ nobilium Pompiliorum, Valeriorum, Corneliorum. Et familiares ex eadem familia. Postea hoc nomine etiam famuli appellari cœperunt, permutata* i. *cum* v. *litera:* In Glossis: *familia:* οἰκετεία, γένος.

L. Pronuntiatum.

Matrem familias accipere debemus, eam, quæ non inhoneste vixit: matrem enim familias à cæteris feminis

minis mores discernunt, atque separant: proinde nihil interierit nupta sit, an vidua, ingenua sit an libertina. Neque nuptiæ, neque natales faciunt matremfamilias, sed boni mores] Rectè, si usum illorum spectes temporum. Gellius antiquitatis studiosus, ait, *Matronam esse, quæ quovis modo in matrimonio sit, sive liberos habeat, sive non: matrem familias quæ in mariti manu mancipioque est, aut ejus, cujus maritus in manu, mancipioque est, quia in familiam viri venisset.* XVIII.6. quod sequitur Nonius Marcellus: *Matrem familias, quæ in familia mancipioque sit patria* (patris) *etsi in mariti, matrimonio esset.* Festo matronæ sunt, quibus stolæ gestandæ jus: matresfamilias nuptæ liberos habentes.

L. Portus.

Inde angiportum dictum est] Non quia nihil in eo agi potest, ut alicubi Varro, sed, ut alibi, ab angendo & portu, voce portus sumta pro loco concluso, ut hîc ait Iurisconsultus, qua de causa in duodecim tabulis etiam domus portus vocatur, teste Festo. Sic Festus angiportum explicat angustum portum.

L. Locus.

Fundus autem integrum est aliquid] Chrysostomus ad I. Cor. III. 9. εἰ γεώργιόν ἐστι, διαιρεῖσθαι οὐ χρὴ, ἀλλ' ἑνὶ φραγμῷ τοῦ τῆς ὁμονοίας τειχίζεσθαι. *Si fundus est, dividi non debet, sed uno septo concordiæ communiri.* Fundus à fundendo. Id rectius, quàm quod fundamentum sit pecudum & pecuniæ.

L. Frugem.

Frugem pro reditu appellari, non solum quod frumentis, aut leguminibus, verùm & quod ex vino, silvis cæduis, cretisodinis, lapidicinis capitur] Sic Varroni fruges à fruendo rectius quàm à ferendo.

752607

do. Servius & Donatus à frumine. Sed ipsa vox, frumen, à fruendo, id est edendo, venit.

L. Quæstio.

Ager est, si species fundi ad usum hominis comparatur] Vox Græca, ut & Varro monet, ἀπὸ τῆς ἄγης, quod & Latini agere dicunt, unde & actus. Prædia Varroni, ut & prædes à præstando. forte prædia sunt proædia, loca ante ædes posita.

VERBVM ERIT.

Verbum erit, interdum etiam præteritum, nec solum futurum tempus demonstrat] Ita *subreptum erit* in lege Atinia, tam præteritum tempus ostendit quàm futurum, auctoribus Scævola, Bruto, & Manilio apud Gellium XVII. 7. id verò Nigidius verum esse dicit, ubi vox *erit*, passivo præterito jungitur. Sic apud Aristotelem, δεδειγότες ἐσόμεθα.

L. Aliud fraus.

Cùm pœna generale sit nomen] A Græco ποινὴ, quod à πίνω, unde πένης, & πονέω.

Multa specialis peccati, cujus animadversio hodie pecuniaria est] Ita dicta, quod multa pecora penderentur, id est plura uno. Suprema enim multa, à qua cæteræ nomen traxêre, erat ovium duarum, boum XXX. Gellius XI. 1. Fallitur Varro, qui multa dicit usurpatum pro uno. Nam quod in dolium urna effusa dicebant, multa, id erat omen secuturæ copiæ. Multos ex Græco πολλοὺς. sunt enim permutabiles inter se litteræ π & μ.

L. Anniculos.

Ante diem decimum Kalendarum] Id est decimo Kalendas, ita loquitur Cicero, Livius, Gellius V. 17.

L. Si

L. Si quis sic.

Si quis sic dixerit, ut intra diem mortis alicujus aliquid fiat] Hoc, si quidem Apollinari Sulpitio apud Gellium XII. 3. de hac locutione differenti credimus ex proprietate vocis non aliud significat, quàm in ipsa die mortis. Sed ostendit ex Cicerone Gellius, aliter usurpatam vocem, *intra*. Ideo autem mortis dies comprehenditur, quia is cùm venit, nondum transiit, ut dicebat Spurinna. Vide quæ diximus libro III. de jure Belli ac Pacis XXI. 4.

L. Massurius.

Quam παλλακὴν Græci vocant] Sic & Nonius: sed & Græca & Latina vox est ex Punico פִּילֶגֶשׁ Gen. XXXV. 22. Ezech. XXIII. 20. Sic Iuno apud Senecam:

Pellices cœlum tenent.

Idem alibi succubam dixit.

L. Non est.

Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est] *Gracchus cum orasset homines, ut se liberosque suos defenderent, eum quem virilis sexus tunc eo tempore habebat, produxit.* Ita Gellius ex Asellione II. 13. ut doceat etiam oratores, & historiæ scriptores, unum filium, filiamve liberos multitudinis numero appellasse. Id eo venit, quia quæ plurali solo usurpantur, sono plurali, sensu sæpe sunt singularia. Tale autem est liberi, quanquam olim etiam singulare liber in usu fuit, unde Liber & Libera, Διοσκόροι, idque mansit in L. si quis suo, C. de inofficioso testamento. Et in L. si quis prioris, §. ult. C. de secundis nuptiis. Iuxta quosdam codices, etiam in L. jus agnationis, D. de pactis. In Declamatione cæci in limine apud Quintilianum, & in Aurelio Victore, ut notavit vir omnium

752607

nium literarum peritissimus Gerardus Vossius. Adde locum Inst. de servili cognatione in princ. & epitomen Victoris in Nerva.

L. Natura cavillationis.

Sunt hæc eadem in titulo sequente. L. ea est natura. Cavillatio hic est σόφισμα, quomodo Boëthius σοφιστικῶς, vertit cavillatoriam. Ejus genus quoddam est Sorites, cujus vis ac natura longe alia quàm hodie à vulgo dialecticorum intelligitur. Vt, si interrogem (nam interrogando disputabant antiqui, unde fallacia plurium interrogationum) an centum aureos in patrimonio habens, sit dives, negabit alter. Adjiciet interrogator aureum unum, deinde alterum, & ita singulos, repetetque interrogationem, an is adjectus divitem faciat. Non habebit qui respondet, ubi mutet sententiam: quia unus aureus, aut, si minutius interrogare velis, quadrans adjectus è paupere divitem facere nequit. Hoc est quod Plato ait, κατ' σμικρὸν καταβαίνων μᾶλλον λήσεις. *Quo minores facies adjectiones, eo falles facilius.* Habet exemplum Galenus IX. de dogmatis Hippocratis, & Platonis: alterum Horatius II. Epistola I. quærens qui scriptores habendi sint antiqui.

Scire velim, pretium chartis quotus arroget annus.
Scriptor abhinc annos centum qui decidit, inter
Perfectos veteresque referri debet, an inter
Viles atque novos? Excludat jurgia finis.
Est vetus atque probus centum qui perficit annos.
Quid qui deperiit, minor uno mense, vel anno,
Inter quos referendus erit, veteresne poëtas,
An quos & præsens, & postera respuet ætas?
Iste quidem veteres inter ponetur honestè,
Qui vel mense brevi, vel toto est junior anno.
Vtor permisso: caudæque pilos ut equinæ
Paullatim vello, & demo unum: demo etiam unum,
Dum cadat elusus ratione ruentis acervi.

Vbi

Vbi voce acervi, expressit vim nominis σωρίτου. quomodo & Persius:

Rem duplica. feci. jam triplex, jam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. depunge ubi sistam.
Inventus Chrysippe, tui finitor acervi.

Qui nihil percipi posse dicebant, quod Græci ἀκαταλη-ψίαν vocant, ut adolescentior Academia, & Pyrrhonici, multum hoc etiam argumento utebantur, unde ægrè se expediebant Stoïci. Cicero Academicorum quarto: *Venit ad Soritas, lubricum sanè & periculosum locum, quod tu modò dicebas esse vitiosum interrogandi genus. Quid ergo, istius vitii num nostra culpa est? rerum natura nullam nobis dedit cognitionem finium, ut ulla in re statuere possimus quatenus. Nec hoc in acervo tritici solum, unde nomen est, sed nulla omnino in re minutatim interroganti, dives, pauper: clarus, obscurusve sit: multa, pauca, magna, parva: longa, brevia, lata, angusta: quanto aut addito, aut demto, certum respondeamus non habemus. At vit si sunt Sorita. frangite igitur eos si potestis, ne molesti sint. Erunt enim nisi cavetis. Cautum est, inquit. Placet enim Chrysippo, cùm gradatim interrogatur, verbi causa: tria pauca sint, anne multa: aliquanto prius quàm ad multa perveniat, quiescere, id est, quod ab iis dicitur ἡσυχάζειν. Per me, vel sterta licet, inquit Carneades, non modò quiescas. Sed quid proficit? Sequitur enim qui te ex somno excitet, & eadem modo interroget. Quo in numero conticuisti, si ad eum numerum unum addidero, multa erunt? progredere rursus quoad videbitur. Quid plura? hoc enim fateris, neque ultimum te paucorum, neque primum multorum respondere posse. Cujus generis error ita manat, ut non videam quo non possit accedere. Nihil meladit, inquit. Ego enim, ut agitator callidus, priùs quàm ad finem veniam, equos sustinebo, eoque magis, si locus is quo ferentur equi, præceps erit. Sic me, inquit, ante sustinebo, nec diutius captiose interroganti respondebo. Si habes quod liqueat, neque respondes, superbis. si non habes,*

752607

habes, ne tu quidem perspicis. Si quia obscura, concedo: sed negat se usque ad obscura progredi. Illustribus igitur rebus insistis. Si id tantummodo, ut taceas, nihil assequeris. Quid enim ad illum qui te captare vult, utrum tacentem irretiat te, an loquentem? Sin autem usque ad novem, verbi gratia, sine dubitatione respondes pauca esse, in decimo insistis: etiam à certis & illustrioribus cohibes assensum. Hoc idem me in obscuris facere non sinis. Nihil igitur te contra Soritas ars ista adjuvat: quæ nec augendi, nec minuendi, quid aut primum sit, aut postremum, docet. Ad hanc fallaciam vitandam voces frequentes, quæ natura sua definitæ non sunt, leges definiunt: ut minor est, qui vigesimum quintum annum nondum implevit: qui implevit, major. Locuples est qui quadraginta habet millia: & ita de cæteris.

L. Pecuniæ verbum.

Pecuniæ verbum] Dictum à pecu, ut ante monuimus, quod eæ possessiones antiquissimæ: pecus à πόκος.

L. Tugurii.

Ofilius ait tugurium à tecto, tanquam tegularium] Potuit scripsisse, Ofilius: *A tego, tanquam tegurium.* Verum etiam apud Festum est: *Tugurium à tecto.* Quia & tectum à tego. τέγος Græcè, à veteri τέγω.

Vt toga quod eâ tegamur] Toga à tegendo etiam Varroni & in Nonio, Græco more, ut à φέρω φορέω: à πλέκω πλοκὴ: à μύω μονὴ, & similia. Ideoque toga olim, non vestis tantum, sed & tectum, si Nonio credimus. Locus enim Titinnii quem producit, non id plane evincit;

Si rus cum scorto constituit ire, claves illico
Abstrudi jubeo, togæ ne rusticæ sit copia.

L. Tabernæ.

Non ex eo quod tabulis cluditur] Omnino scribendum: *nam ex eo:* & connectenda quæ sequuntur: *inde tabernacula, & contubernales dicti sunt.* Festus: *Contubernalis habitator continuæ tabernæ: quod genus domicilii antiquissimum Romanis fuisse testimonio sunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis utuntur ædificiis: unde etiam tecta castrensia, quamvis pellibus contegantur, tabernacula tamen dicuntur.* Originis rationem, quam hîc attulit Vlpianus, Festus etiam probat. Vult enim dici tabernacula, non quod tabulis claudantur, sed quod olim ex tabulis fierent. ut apertè ostendit in voce, tabernacula.

L. Qui fundum.

Qui fundum vendidit, pomum recepit: nuces & ficos, & uvas duntaxat, duracinas, & purpureas, & quæ ejus generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Græci πεπῶνας appellarent, recepta videri] Strictius sumunt pomi significationem Afranius, Cicero, Columella, ut in multæ frugis opere ad Solinum notavit Salmasius. Poma ex Græco πῶμα, ea quæ sitim arcere possunt. Genera malorum, pirorum, ficuum habes apud auctores rei rusticæ, & Macrobium fine secundi Saturnaliorum.

L. Liberorum.

Filii enim appellatione, sæpe & nepotes accipi] Benigniori quadam interpretatione, cui nec origo plane repugnat, sive ἀπὸ τῆς φυλῆς, sive ἀπὸ τῆς φιλίας, dicti sunt filii.

L. Si calvitur.

Si calvitur & moretur, & frustretur] Lege: *id est moratur, & frustratur.* Nonius: *Calvitur, dictum*

752607

ctum est, frustratur: tractum à calvis mimis, quod omnibus sint frustratui. In mimis calvi introducebantur, qui ab aliis ludificabantur. Verius est ex Græco esse καλάω. Accius: *Sed memet calvor.* Pacuvius: *Num me lactans calvitur atas?* Plautus: *Sopor manus calvitur.* Sallustius historiarum III. *Contra ille calvi ratus*

L. Post Calendas.

Post Calendas Ianuarias die tertio pro salute Principis vota suscipiuntur] In Calendario Constantini, ad eum diem notatur: *Votorum nuncupatio.* Vide Tacitum Annal. IV. Plin. Epist. ad Trajanum 44. 45. 101. 102. Meminit idem Plinius Panegyrico, & Dion. libro LVIII. Martialis:

Quantus, io, Latias mundi conventus ad aras
Suscipit, & solvit pro duce vota suo.

L. Quos nos hostes.

Quos nos hostes] Vide ad L. postliminii jus, D. de captivis.

L. Qui venenum.

Qui venenum dicit, adjicere debet, utrum malum an bonum] Vide quæ dicta ad L. ejusdem. Ad L. Corneliam de sicariis.

DE DIVERSIS REGVLIS IVRIS antiqui.

Id est non de regulis perpetuis, quæ ex principiis naturalibus certa quadam fluunt illatione, sed de illis, quæ sunt juris Romani, & ex multis legibus similia statuentibus collectæ, valent, non semper, sed ut moralia, ὡς τὸ πολὺ. Sicut ars est collectio experimentorum, ita regula collectio definitionum. Materia interdum resistit arti, sic & regulæ. Vide L. omnis definitio H. t.

L. 1.

Quasi causæ conjectio est] Similitudo ab arte oratoria traducta ad jurisprudentiam. Asconius ad Verrinam III. *Antequam causa ageretur, quasi per indicem rem exponebant, quod ipsum dicebatur causæ conjectio, quasi causæ in breve coactio.* Hoc est quod Basilica dicunt: σύτομος τῦ πράγματος ἀφήγησις. In XII. tabulis erat: *In foro aut comitio ante meridiem causam conjicito.* Afranius: *Causam conjicere hodie ad te volo.* Gellius V. 10. *Cum ad judices conjiciendæ, consistendæque causæ gratia venissent.* Sicut conjectio causam in summam contrahit, ita regula multas definitiones.

L. Feminæ.

Tertullianus de Virginibus velandis: *Non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare.* Ambrosius in libro quæstionum veteris & novi testamenti: *Mulierem constat subjectam dominio viri esse: & nullam auctoritatem habere. nec docere potest, nec testis esse, nec fidem dare, nec judicare.*

L. Ejus est non nolle.

Ejus est non nolle, qui potest velle] Seneca: *Si vis scire an velim, effice ut possim nolle.* Locus est de beneficiis II. 18. Hoc inter homines locum habet in utrumque versatiles. In Deo non item, qui quædam non minus vult, quia non potest nolle. Idem libro VI. de beneficiis 21. Cætera huc pertinentia vide apud Petrum Fabrum, cujus librum ad juris Regulas, ut & Cujacii omnia, Romani juris studiosis eximiè commendo.

L. Imaginaria.

Imaginaria venditio, non est pretio accedente] Pretio

752607

tio probabili: nam alioqui in imaginariis venditionibus res solebat addici nummo sestertio. Scholiastes ad Tiresiam Horatii.

L. Consilii.

Consilii non fraudulenti nulla obligatio est] Benè Demades: δεῖ ὃ τὸν σύμβουλον, κηδεμόνα τὸν ἰατρὸν, ἀ τῆς νόσου τιμὰ αἰτίαν ἔχειν, ἀλλ' τῆς θεραπείας τιμὰ χάριν ἀπολαμβάνειν. *Æquum est ei, qui consilium dat, perinde ut medicum, non de morbo accusari, sed de sanatione referre gratiam.*

L. In eo.

Mulieribus tunc succurrendum est, cùm defendantur, non ut facilius calumnientur] Puto scripsisse Paulum: *Cum defraudantur.* Ita enim scribitur hæc vox apud Plautum, Terentium, Nonium. Infirmitati earum, non calliditati succurritur: erranti-bus, non fallentibus.

L. Invitus.

Cùm quis in alii locum successit, non est æquum nocere ei, hoc, quod adversus eum nocuit, in cujus locum successit] Omnino legendum est, *non nocuit.* ostendit id lex penultima, suprà de itinere actuque privato. Alii, pro alius, est ἀρχαϊσμὸς, quales multi in his jurisconsultis, ut qui in antiquis libris multum versarentur. Sic enim locuti M. Cato, & Licinius. Sic & in fœminino aliæ causæ, totæ rei, totæ insulæ, in singulari legimus.

Ad

CODICEM

IVSTINIANI.

NIhil incertius hoc jure. pauci principes in jure condendo leges veteres, & eorum peritos consuluêre, ut Severus. Pleraque ad gratiam facta. Vnde Macrinus omnibus principum rescriptis, auctoritatem adimere voluit. In Iustinianeis autem legibus magnam partem habuit Theodora, quæ muliebris sexus semper, & sæpe ultra modum miserebatur, ut Procopius notat Goth. III. Consules qui imperante Iustino, ac post imperante Iustiniano fuêre, & præfectos prætorio si quis nosse velit, adeat Alemanni eruditas notas, ad arcanam historiam Procopii.

DE SVMMA, TRINITATE & fide Catholica, ut nemo de ea publicè contendere audeat.

L. I.

Quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum] Sapienter à Patriarchis designat Catholicam communionem. At cur Antiochenum non adjungit? Quia ibi erat schisma, inter Paulinum & Meletium. Pari de causa Hieronymus in epistola ad Marcellinum & Anapsychen, sentire se ait cum Damasco, & Petro.

L. Decere.

Post binas nuptias (ut didicimus) præter Apostolicos Canones] In eum enim sensum Ecclesia semper

752607

per accepit dicta Pauli 1. Tim. III. 2. Tit. 1. 6. Nimirum quia in Episcopis requirebatur sanctitas purior. Nec æquum videbatur, ut Christiani ea in parte paganis cederent, apud quos multi erant sacerdotes vnarum nuptiarum.

L. Cognoscere.

Nec enim patimur, ut quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum pertinent statum, non etiam ad ejusdem referatur beatitudinem, cum ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum] Hæc perpetua fuit piorum Principum sententia, ad tuendam Ecclesiæ vnitatem perquam necessaria. Idem dicunt Valentinianus & Placidia in actis ante Concilium Chalcedonense: Iudices à Martiano dati, & ipsa Synodus Chalcedonensis IV. Act. 16. Adde Novella MCXXXI. Eo autem diligentius Imperator suam fidem Papæ explicat & commendat, quòd speraret se per auctoritatem Papæ civitatem Romanam abducere posse à Gothis, & ad se transferre. Docet id nos Procopius.

L. Inter claras.

Meminit hujus epistolæ, præter alios, Liberatus in Breviario cap. 20. epistola Iustiniani ad Agapetum, in epistolis Agapeti tomo 1. epistolarum Pontificum Romanorum: Paratitla Græca Latinè edita à Leunclavio.

Per Hypatium, atque Demetrium sanctissimos viros] Hypatius Ephesi Episcopus, Demetrius Philipporum Macedoniæ, missi ab Iustiniano in Italiam, specie controversiarum de fide, revera ut vires animosque Amalasunthæ, & procerum Gothorum explorarent, quod mirum quàm feliciter cesserit Imperatori. historia est apud Procopium Gothicorum 1. & in libris Pontificalibus. Nomina horum habes & apud Liberatum, &

apud ſcriptorem ſine nomine, quem edidit Cardinalis Baronius.

Coëpiſcopos meos] Epiſcopus enim Romanus frater eſt Epiſcoporum, ſed primogenitus.

Cor regis in manu Dei eſt] Citat hanc ſententiam bis Themiſtius, & vocat λόγον Ἀνάμεσον.

L. Reddentes.

Eſt & aliud edictum Iuſtiniani, fidem continens in jure Græcoromano p. 525.

Veſtram beatitudinem] Sic & Hieronymus ſcribit Damaſo.

Et ſubjicere, & unire ſedi veſtræ] Subjicere, nempe per pietatis reverentiam, quomodo Philaſtrius Abrahamum ait ſubjectum fuiſſe Melchiſedeco. Sic & Leo loquitur epiſtola CIIII. de Anatolio. Zonaras in Can. III. Conſtantinopolitanæ, & XXVIII. Chalcedonenſis Synodi.

In una enim ſubſtantia] Latini ſubſtantiæ voce modò reddunt οὐσίαν, modò, ut hic, ὑπόστασιν. Subſiſtentiæ enim vox nondum in Latium erat recepta. Et qui ſiſtit, facit ſtare.

Deitatem] Omnino addendum: *& humanitatem.* Vtriuſque enim naturæ ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν, credimus. Et ſic loquitur edictum illud in jure Græcoromano, de quo diximus.

Quem confitemur, ac credimus] Mos Imperatorum loqui de ſe plurali numero. Sic Iuſtinus epiſtola 7. *Divinum nobis auxilium dignatur acquirere.*

Petimus ergo veſtrum paternum affectum] Et hæc eſt illorum temporum locutio. Apparet ex epiſtola Fortis Epiſcopi Afri, ad Silvanum Epiſcopum Cirtæ: Liberii Epiſcopi Romani, ad Epiſcopum Vercellenſem, & ad Orientales, & ad Valentem. Sic & Euſebius Vercellenſis: Auguſtinus, Victorinus, Collatores Afri, Epiſcopi Afri in Conciliis: & alii: ipſe etiam Iuſtinianus epiſtola III. ad Hormiſdam.

Deitas

752607

Deitas te conservet per multos annos] Data fuit hæc Imperatoris epistola VI. Ianuarii DXXXIII.

Observantes ea, quæ ab ipsarum sunt statuta Pontifice] Hoc est Papæ munus, quæ ab aliis pontificibus secundum canones acta sunt: observare & observari facere.

DE SACROSANCTIS ECCLESIIS, & de rebus & privilegiis earum.

L. I.

Habeat unusquisque licentiam, sanctissimo, catholico, venerabilique concilio decedens, honorum quod optaverit relinquere] Concilio, id est, Ecclesiæ. Hanc legem reduxit Iustinianus. Cæterum multi post Constantinum Principes, quod Ecclesiis indultum erat, id clericis singulis non indulsêre, ad vitandas captationes, & alias malas artes. Ambrosius Valentiniani tempore: *Scribuntur testamenta templorum ministris: nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis: nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, á quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur. nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio; & ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus fani legaverit Christiana vidua, valet: quod ministris Dei, non valet. Quod ego non ut querar, sed ut sciant quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecuniâ minores esse, quàm gratiâ. Sed referunt ea quæ vel donata, vel relicta sunt Ecclesiæ, non esse temerata.* Sic & Hieronymus ad Nepotianum: *Pudet dicere. Sacerdotes idolorum, auriga & mimi, & scorta hereditates capiunt. solis clericis & Monachis id lege prohibetur, non à persecutoribus, sed à Principibus Christianis: nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quo mihi vulnus, ut indigeam cauterio? provida severaque legis cautio.* Iure Romano

paganorum deos heredes instituere non licebat, nisi eos de quibus id Senatusconsulto, aut constitutionibus Principum concessum erat. Vlpianus in institutionibus, qui heredes instituí possunt.

L. Omni innovatione cessante.

Omni innovatione cessante] Hoc ideo, quia Chalcedonensis Synodi tempore Illyricum Patriarchalem curam Romani Episcopi agnoscebat. Chalc. conc. Act. XV. 28 Zonaras ad eum locum. Socrates VII. 18. 37. 48. Leo epistola 84. Gregorius Magnus IV. 8. Pro Constantinopolitano sunt conc. VI. 18: Leo philosophus in disputatione de Ecclesiæ thronis. Iustinianus ipse solita sibi inconstantia Romæ rursus hanc inspectionem adjudicavit Novella CXXXI.

L. Sancimus nemini.

Sed ab his qui hæc suscipere ausi fuerint, modis omnibus vindicari] Sacerdotes in omnibus fermè judiciis, quibus Iustinianus moderabatur, victores abibant. Et ipse multa malè sibi parta dabat Ecclesiis. Ita certè narrat in arcana historia Procopius p. 60.

L. Vt inter.

Nisi centum annorum curricula excesserint] Si eidem Procopio in eadem arcana historia, & Suidæ in Περὶ Ἐμεσηνῶν, credimus, legem hanc, & Novellam IX. Tribonianus cudit hac occasione. Emesenorum Ecclesiam heredem jam olim instituerat Mammianus, patritia dignitate opibusque eminens. Priscus erat apud Emesenos falsarum literarum egregius faber. Is plurimas confecit literas falsas, velut manu ditissimorum, qui quondam vixerant Emesæ, hominum signatas, quibus illi se ingentes summas Mammiano debere profitebantur

752607

fitebantur: Eas falsas tradidit Procuratoribus Ecclesiæ Emesenæ. Sed obstabat præscriptio tricenatia à Theodosii temporibus passim recepta, & quadragenaria quam adversus hypothecarias actiones Iustinianus introduxerat. Procuratores eunt Byzantium, &, ut erat Iustinianus facilis de alieno largiri Ecclesiis, legem impetrant, ne qua præscriptio, minor centenaria, adversus Ecclesias, quæ usquam essent in orbe Romano, valeat. Ex ea lege damnati sunt multi: sed tandem miro casu falsimonia detecta est: lex ipsa revocata postea per Novellam CXI. & CXXXI. II.

L. Constantinopolitana.

Constantinopolitana Ecclesia omnium aliarum est caput] Aliarum, id est, præter Romanam: & caput, id est prima ordine ex decretis Concilii Constantinopolitani, & Chalcedonensis, & lege *decernimus*, suprà. Hunc sensum nobis tum alia exhibent, tum epistola Iohannis ad Hormisdam post epistolam 40. & epistola Epiphanii post epistolam 72.

DE EPISCOPIS, ET CLERICIS, & orphanotrophis & xenodochis, & Brephotrophis & Monachis, &c.

Monachis Christianis valde similes fuêre non modo Esseni apud Iudæos, sed & Samanei apud Indos, de quibus Porphyrius libro de abstinentia IV.

L. Si quis non dicam.

Sacratissimas virgines] Quæ Socrati, αἱ παρθένοι αἱ ἀναγεγραμμέναι ἐν τῷ τῆς ἐκκλησίας κανόνι: *Virgines in catalogo Ecclesiarum descriptæ.*

L. Quicunque.

Quicunque residentibus] Hæc lex breviter exstat, C. Theodos. XVI. tit. II. inde sumta à Carolo Calvo in epistola, quæ est inter Hincmari opuscula. sed totam legem, plenamque nobis exhibuit vir optimè de sacris literis, virisque bonis meritus, & mereri quotidie non desinens, Iacobus Sirmondus in appendice ad Codicem Theodosianum. quam edidit anno CIↃIↃCXXXI.

L. Eum qui.

Extraneam sibi mulierem] Quas συνεισάκτους vocat magna Synodus Nicæna canone III. Gregorius Nazianzenus in versibus, & Chrysostomus in orationibus ejus argumenti. Vocabantur & inter se ἀγαπηταὶ. Hieronymus ad Eustathium, de custodia virginali.

L. Si quenquam.

Vt eos, quos par facinus coinquinat, & æquat [Est ex Lucano libro V.

Facinus quos inquinat, æquat.

L. Vnaquæque.

Vnaquæque civitas proprium episcopum habeto] Vanum scilicet, idque ex Canone Nicæno. Olim in magnis urbibus, ut Romæ, & Anthiochiæ (de Alexandria id negat Ephiphanius) plures sæpe in una urbe episcopi fuerunt: nempe quot erant conventuum loca: sicut Archisynagogi Iudæorum tot quot in urbe synagogæ. Hinc factum, ut earum Ecclesiarum initiis, de nominibus Episcoporum disconveniant scriptores. Ignarum se hujus Canonis ab Episcopo vivente factum Episcopum Hipponensis Ecclesiæ dicit Augustinus.

S. San-

752607

L. Sanctissimarum.

Annale ipsis definimus decretum] Etiam Mónachi uxor intra annum nubere poterat ex lege : cujus meminit Eustathius de temporum intervallis, Titulo de anno, §. 9. Sed ea lex neque hîc exstat, neque relata fuit in Basilica.

L. Clarii.

Is vel ea, qui vel quæ tempore antiquior est, eligatur] Qui mos olim in multis Ecclesiis valuerat ad Episcopum constituendum, nempe ut recedente priore, alter succederet. Docet id qui ad epistolas Paulinas, sub Ambrosii legitur nomine. Sic & in Africa pro Metropolitis erant senes : id est primi ordine receptionis Episcopi. πρεσβυτία semper fuit. modus constituendi, non idem semper, aut ubique.

L. Cùm lege Leonina.

Hæc lex inscripta est Iohanni præfecto prætorio. Is est Iohannes Capadox, homo illiteratus, sed ad avaritiam Imperatoris ingeniosus minister, eam dum satiaret non Deum, non homines pensi habere solitus. His eum titulis depingit Procopius Persicorum 1. ubi & narrat, quomodo is postea in iram Theodoræ, atque inde in exsilium, bonorumque confiscationem inciderit.

De Episcopali Audientia, et Diversis capitibus quæ ad jus, curamque, & reverentiam pertinent pontificalem.

Episcopos Christianos à Presbyteris distinguit Adrianus Imperator in epistola quæ est apud Vopiscum Saturnino.

L. 1.

Vide legem Constantini recitatam tomo III. p. 106. Conciliorum à Sirmondo editorum.

L. Nemo deinceps.

Chrysostomus de statuis XI. Ἐν ταύταις οὖν ταῖς ἡμέραις πέμψας ὁπτιόλιον εἰς τιμὴν τῆς ἑορτῆς, τοὺς τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντας ἅπαντας ἀφῆκεν. Καὶ ταύτην ὁ ἱερεὺς ὁ ἡμέτερος εἰσελθὼν, ἀναγνώσεται τὸν ὁπτιόλιον πρὸς τὸν βασιλέα, καὶ τὸν οἰκεῖον αὐτὸν ἀναμνήσει νόμων, καὶ ἐρεῖ πρὸς αὐτόν. ὅπα, σὺ σαυτὸν παρακάλεσον καὶ τὰ σαυτοῦ μέμνησο. ὅπου δὲν ἔχεις τὸ παράδειγμα τῆς φιλανθρωπίας. δίκαιον ἦν εἰλικρινῆ ποιῆσαι φόνον, καὶ ἄδικον ὑπομεῖναι ἐργάσασθαι; τοὺς ἁλόντας καὶ καταδικασθέντας τὴν ἑορτὴν αἰδεσθεὶς ἀφῆκας. καὶ, ἀνδρωμένους καὶ μηδὲν τετολμηκότας κατακρίνεις: *Illis temporibus Imperator missa epistola in honorem Paschatis, omnes qui in carceribus tenebantur, liberos emiserat. Hanc ergo cùm ad Imperatorem venerit, sacerdos noster epistolam ipsi præleget, suasque ipsi leges in memoriam reducet, dicens ei: Temet mone, & tuorum memor esto. A te habes exemplar. Noluisti justam eadem facere, & injustam poteris admittere: condemnatos & convictos festi temporis reverentia dimisisti, & non accusatos, non sontes damnabis?* Scriptor de unctione Chrismatis, qui apponitur Cypriano: *Hodie patent carceres, & damnati libertate donantur. Severitate deposita hodie judices mansuescunt.* Habes eorundem Imperatorum, qui huic legi præscribuntur, similes epistolas quinque criminibus exceptis, in appendice Sirmondiano ad Codicem Theodosianum: & est ejusdem indulgentiæ formula apud Cassiodorum XI. 40.

L. Episcopale judicium.

Hæc lex hoc loco curtata est. Integra autem exstat in appendice illa Sirmondi.

Per

752607

Per judicum quoque officia, ne sit cassa episcopalis cognitio, definitioni executio tribuatur] Sozomenus constitutum ait: εἰς ἅρχον τὰ κρινόμενα παρὰ τῶν ὁπισκόπων ἄγειν τὰς ἀρχοντας ἢ τὰς διακονεμένας αὐλοῖς στρατιώτας. *Vt ea quæ ab episcopis judicata erant, exsequerentur magistratus, & qui eis apparent milites.*

DE HÆRETICIS, ET MANICHÆIS, & Samaritis.

L. Manichæos.

Manichæos] Horum dogmata venisse à Magis veteribus cognosces, si quæ de iis habet Augustinus & alii, conferas cum iis quæ sunt apud Porphyrium libro de abstinentia IV. Manichæis favebat Theodora, ait in arcana historia Procopius, quod ipsa à prima ætate multum cum Magis & veneficis esset conversata.

L. Damnato.

Quamadmodum Ariani ab Ario, lege divæ memoriæ Constantini, ob similitudinem impietatis: Porphyriani à Porphyrio nuncupantur] Malè hęc distincta: tollendum colon: non enim dicit Arianos ab Ario nominatos, sed Arianos ab Ario venientes, dictos Porphyrianos, quod ad exemplum Porphyrii, Christi deitatem oppugnarent. Narrat rem in historia Socrates.

Sic ubique participes nefariæ sectæ Nestorii, Nestoriani vocentur] Lege, *Simoniani vocentur*: considera sequentia.

L. Sanctæ.

Samaritanorum Synagogæ] Quales etiam Romæ fuisse discimus ex Cassiodoro III. 45. ubi Samareæ superstitionis populum vocat. De Justiniani sævitia, in Samaritis ad Christianismum cogendis, quæ vastitatem toti eorum regioni intulit, vide Procopium arcana historia.

Non

Non possunt successores habere ex testamento, vel ab intestato] Generaliter à Iustiniano constitutum, ne Montanistæ, Sabbatiani, aliique hæretici liberis aut propinquis bona relinquerent, ait in dicta historia Procopius.

NEMINI LICERE SIGNVM SALVATORIS Christi humi, vel in Silice, vel in marmore aut insculpere, aut pingere.

L. 1.

Qua occasione lex hæc lata sit, discis ex Paulo Diacono libro XVIII. historiæ Miscellæ, & de Longobardis III. 12. Vide & Synodum in Trullo LXXIII. Signum salvatoris est crux.

DE IVDÆIS ET COELICOLIS.

Cùm dixisset Celsus: θαυμαστὸν μὲν οὖν τὸ ἰουδαίων θαυμάζειν ἄξιον εἰ τὸν μὲν οὐρανὸν τοὺς ἐν τῷ οὐρανῷ ἀγγέλους σέβεσι. *Dignum miratu est in Iudæis, quod cùm cælum, & eos qui sunt in cælo angelos venerentur.* Respondet Origenes: ὅτι οἱ κατὰ τὸν Μωϋσέως νόμον βιοῦντες ἰουδαῖοι τὸν οὐρανὸν οὐ φήσουσι θεὸν, οὐδὲ συναγέβεσι τῷ θεῷ τὸν οὐρανόν: *Eos Iudæos qui secundum Mosis vivunt legem, non dicere cælum Deum esse, neque eos juxta Deum, cælum venerari.* Addit hunc morem esse παραβατικὸν τοῦ νόμου legicontrarium. Errant ergo alii Iudæi, qui de illa in quam majores eorum sæpe ceciderant superstitione, (vide Amos v. 25. Ierem. VII. 17. XIX. 13. Act. VII. 42.) multum retinebant. Videamus an hi sint quos in Ægypti descriptione שאמיין vocat Benjaminus Tudelensis. Videntur ab his ortum habuisse Elcesaitæ & Samsæi, quorum meminit Epiphanius. De Iudæis vide titulum Codicis Theodosiani, Constitutionem Valentiniani, & ea quæ sunt in tomo tertio conciliorum Galliæ p. 53. & conc. Paris. Canone 15. & sequentibus.

L. 1.

752607

L. 1.

Quod Cornelia Salvia universitati Iudæorum, qui in Antiochensium civitate constituti sunt, peti non potest] Secundum jus vetus Romanorum, quo nec respublica ulla heres institui, aut præcipere poterat. Plinius v. epist. 7.

L. Iudæis.

Et majoribus eorum] Majores sunt qui Presbyteri in L. qui devotioni, Cod. Theod. hoc titulo. זקנים seniores, infrà, L. si qua inter.

Et Patriarchis] Erant Patriarchæ Iudæorum Babylonenses : de quibus Sederolam, Rabbi Abraham, Rabbi David in Zemach : Benjamin in itinerario, non uno in loco. Erant Tiberiadenses, de quibus Sederolam, Hieronymus adversus Rufinum lib. 1. cap. 9. & in Esaiam 3. & epistola 101. Epiphanius hæresi 30. Theodoretus dialogo 1. Cyrillus catechesi 12. Veniebant interdum in Ægyptum. Vide Vopiscum Saturnino, & vitam Firmi. Ab his vocabulum, sero satis, ad Christianos venit.

Aut alio furoris genere] Quod ipsi judicium Zeli vocabant, de quo diximus 11. de jure Belli ac Pacis xx: plura doctissimus Seldenus, de jure naturæ & gentium secundum Hebræos IV. 4.

L. In Synagogam.

In Synagogam Iudaicæ legis veluti hospitii merito irruentes milites, jubeas emigrare] Similia habes apud Cassiodorum IV. 33. v. 37.

L. Iudæi communi.

In his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges & jura pertinent, adeant solenni more judicia] Omnino legendum : *quæ non tam.* in causis superstitionis suæ, suas leges sequuntur, ex

ex conceſſu Auguſti & Tiberii : cujus mentio apud Philonem & Ioſephum. Vide L. generaliter, §. eis qui, D. de Decurionibus. Iuſtinianus tamen hanc libertatem infregit, cùm Iudæos vetuit Paſcha ſuum ante Chriſtianos agere. Procopius teſtis in arcana hiſtoria.

L. Iudæos quoſdam.

Feſtivitatis ſuæ ſolennia] In Cod. Theod. *Solenni Aman*, id eſt, die Purim. Vide noſtra ad Eſtherem.

L. Nullus.

Non paſsim eorum Synagogæ, vel habitacula concrementur] Quod interdum inſaniente plebe factum fuiſſe cognoſcimus ex Ambroſio de officiis. I. 40. ex Caſſiodoro IV. 43.

Iccirco tamen judiciorum vigor juriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quiſquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem] Quintilianus declamatione XII. *Nos ideo magiſtratus, legeſque à majoribus veſtris accepimus, ne ſui quiſque doloris judex ſit, & aſs. duæ ſcelerum cauſæ ſe refellant, ſi ultio crimen imitabitur. Damnum accepiſti: erat lex, forum, judex, niſi vos jure vindicari pudet.*

L. Iudæi & bonorum.

Leges Romanæ circuncidi quenquam vetant, exceptis Iudæis. L. circuncidere, D. ad L. Corneliam. Ideo Samaritis id non permiſſum narrat Origenes.

L. Iudæorum primates.

Iudæorum primates] Id eſt Archiſynagogi, de quibus vide Sextum Aurelium. Alexander Severus Imperator per contemtum dictus Syrus Archiſynagogus teſte Lampridio. Adriani epiſtola apud Vopiſcum de Ægyptiis : *Nemo illic Archiſynagogus*

752607

nagogus Iudæorum, nemo Samaritesnemo Christianorum Presbyter, non Mathematicus, non aruspex, non aliptes.

Quam Patriarchæ quondam auri coronarii nomine postulabant] Meminêre Zonaras, & scriptor vitæ Chrysostomi, qui & mutatos sæpe à Patriarchis Archisynagogos ait, si non satis conferrent.

NE CHRISTIANVM MANCIPIVM hæreticus vel judæus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circuncidat.

Idem constituit lex VVisigothica XII. tit. II. 12. & 14.

L. Si quid datum fuerit.

Si quid datum fuerit, aut relictum locis, aut personis, aut ad constructionem paganici erroris, urbs illud accipiet] Olim fiscus. Hoc est de quo queritur Symmachus: *Agros etiam virginibus & ministris deficientium voluntate legatos, fiscus retentat. oro vos justitiæ sacerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata successio: dicent testamenta, securi, & sciant sub Principibus non avaris stabile esse quod scripserint. Delectet vos ista felicitas humani generis. Cœpit causa hujus exemplum sollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones ad Romana jura non pertinent? quod nomen accipiet oblatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas?*

L. Ult.

Qui post sanctum baptismum in errore paganorum manent, ultimo supplicio afficiantur] Iustiniani sævitiam in paganos commemorat in dicta arcana historia Procopius, itemque Theophanes. Narrant iidem, & Suidas, præcipuos aulæ reos factos fuisse.

DE

DE HIS QVI AD ECCLESIAM confugiunt, vel ibi exclamant, & ne quis ab Ecclesia extrahatur.

Zosimus libro IV: τὸ παρὰ Χριστιανῶν πρώμνηον οἰκοδόμημα, ἄσυλον νομίζεται. *Venerabiles Christianorum ædes jus asyli habent.* Meminit sæpe ejus immunitatis Ammianus. Ait tamen extractos Ecclesiis maleficarum artium reos. Vide Chrysostomi orationem de Eutropio. Violatum non semel id jus à Theodora docet nos arcana Procopii historia.

DE LEGIBVS, ET CONSTITVT. Princip. & edictis.

Inter æquitatem jusque interpositam interpretationem nobis solis & oportet, & licet inspicere] Symmachus X. 47. *Leges percenseam, quarum plerumque duritiam, pro clementia vestra, decretis moderatioribus temperasti.* Et X. 63. *Alia est enim conditio magistratuum, quorum corrupta videntur esse sententia si sint legibus mitiores. Alia Dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam severi juris inflectere.*

L. Leges ut generales.

Nam satis est edicti eas nuncupatione censeri, vel per omnes populos judicum programmatibus divulgari] Post vocem, *censeri*, excidit, *quas volumus*. id hîc repetendum ex Cod. Theod.

L. Digna vox.

Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri] Nempe ubi ipsi cum privatis negotium est, ut diximus ad ad Institutiones: Quibus modis testamenta infirmentur, Ambrosius ad Valentinianum: *Leges Imperator ferat, quas primus ipse custodiat: quia quod præscripsit aliis, præscripsit, sibi, ne cui esset liberum aliud judicare.*

752607

judicare. Vide Hincmarum in opusculis p. 470. & 559.

DE HIS QVI IN ECCLESIIS MANUMITTUNTUR.

Vide Cod. Theod. IV. 8. Soz. I. 9. Cassiodorum tripartita I. 8. Nicephorum VII. 9. nimirum ut multi testes haberentur, ut & in nuptiis.

LEGES ET CONSTITVTIONES.

Non ad facta præterita vocari] Cato Vticensis: ἀμηχεῖν ἐκέλευε τῷ μεγονότων ἐς προσοχὴν τοῖς μέλλουσιν. ὅτε γὰρ ὅπως ζητεῖται τὰ προημαρτημένα ζητεῖν ὀξίστη ῥάδιον. εἰ δὲ τὰ νεώτερα χρέεται τῷ ἀδικημάτων ὑπερίμα, δεινὰ πείσεται τὸν ὃν ἐ παρέλαγον, ἀτ' ἀδίκεων ὁμοῦ καὶ τὸν πολαζόμενοι. *Præterita volebat extra curam poni: eam vero adhiberi rebus futuris. Neque enim definiri facile, quousque extendere se debeat in præterita inquisitio. Et si novæ statuantur ante commissorum pœnæ, fore ut iniquè cum iis agatur, qui punientur ex lege, quam nec violarunt, nec ulla ex parte læserunt.*

L. Si Imperialis.

Si Imperialis sensus legem interpretatus est] Symmachus X. 40. *Operior quid deliberatio Augusta constituat, cui soli fas est de scitis Divalibus judicare.* Alibi: *Nos venerari potius, quam interpretari oracula divina consuevimus.*

DE MANDATIS PRINCIPVM.

L. II.

Inscripta est hæc lex ad *Fusignium præfectum prætorio.* In Cod. Theod. *Ad Eusignium proconsulem Africæ.* Ex notis error.

Sed sacras nostras literas esse quærendas] In Cod. Theod. *Sacris nostris literis esse credendum.* Σάκρα simpliciter, pro sacris literis, sunt literæ Principum,

pum, apud Menandrum Prorectorem, Cedrenum, & in Basilicis. M. Antoninus philosophus præfectorum auctoritate & periculo jura dictabat.

DE PRECIBVS IMPERATORI OFFERENDIS, & de quibus rebus supplicare liceat, vel non.

Quæstio oriens ex precibus Imperatori oblatis, ad sacrum auditorium pertinebat. Symmachus X. 55.

L. Nec damnosa.

De origine hujus legis vide Zonaram Claudio: illo dico, qui Aurelianum præcessit. Dicit enim ante hunc vulgo obtinuisse, ut res alienæ ab Imperatore impetrarentur: Hunc primum id vetuisse: & ex eo mansisse legem.

L. Rescripta.

Rescripta contra jus elicita, ab omnibus judicibus refutari præcipimus] Ægyptii reges ex lege sua judices jurejurando adigebant, ut si quid rex iniquum jussisset, secundum id ne judicarent. Diodorus. Sic & Antiochus tertius scripsit imperii sui civitatibus, si quid literis suis contra leges præciperet, id velut ex ignorantia profectum insuper haberent.

SI CONTRA IVS VEL VTILITATEM publicam, vel per mendacium fuerit aliquid postulatum, vel impetratum.

Symmachus 117. *Petitio tua super hereditate C. M. V. Aërii, neque mihi, neque aliis, qui tui curam gerunt, visa probabilis. Nam quæ jure ac legibus sunt relicta, alienari impetratione non possunt.* X. 58. ad Imperatorem: *Vestræ tantum clementiæ liberum est, inique elicita rescripta rescindere.* Deinde: *Nunc perennitatis vestræ stabilem censionem publica causa deposcit,*

752607

poscit, ne obreptivis publicationibus subsidia integrati corporis subruantur.

DE DIVERSIS RESCRIPTIS, ET pragmaticis sanctionibus.

L. Universa.

Sub ea conditione proferri præcipimus, si preces veritate nitantur] Augustinus in Ioh. tract. VII. *Iuris forensis est, ut qui in precibus mentitus fuerit Principi, non illi prosit scriptum quod impetraverit, imo etiam careat ipso beneficio scripti, qui scriptum produxerit.*

DE OFFICIO PRÆFECTI PRÆtorio Orientis & Illyrici.

Codicillos quibus præfectura prætoriana mandatur, habes apud Cassiodorum VI. 3.

DE OFFICIO PRÆFECTI VRBI.

Hujus præfecturæ codicillos habes apud eundem Cassiodorum VI. 4. Olim præfectus urbi de omnibus criminibus cognoscebat intra centesimum. Sed Iustinianus duos addidit magistratus, prætorem plebis, qui de furtis cognosceret; & quæsitorem, qui de adulteriis, & marium stupris, & falsis religionibus: ac postremo inter hos tres magistratus de omnibus criminibus occupandi cognitionem jus dedit. Procopius in arcana historia. Prætoris illius mentio Novella 13. quæsitoris Novella 74.

DE OFFICIO MAGISTRI Militum.

Cassiodorus VI. 6. magisterium militare. L. quicunque, infrà, de procuratoribus. μαγιστεία ἀρχή, Suidæ.

DE OFFICIO QVÆSTORIS.

Vide quæ ad titulum Digestorum. Hoc addam valde deformatam fuisse à Iustiniano quæsturam, qui eam commiserit avariſſimis, rapaciſſimiſque hominibus Triboniano, Iunilæ Afro, Constantino, de quibus vide in arcana hiſtoria Procopium.

DE OFFICIO MAGISTRI Officiorum.

Codicilli apud Cassiodorum VI. 6.

L. Curator.

Castrorumque ac clausurarum cura procedat. Clausura à claudendo. Græcis κλεισῦραι, sunt ὀχυρώματα, ut Suidas interpretatur, castella idoneis locis posita.

DE OFFICIO COMITIS SACRARVM Largitionum.

In notis C. S. L. Codicilli apud Cassiodorum VI. 7. VIII. 10. Procopius explicat, τὰ ἀμφὶ τὰς δωσεώρεας. Menander: ἡγεμὼν τῶν βασιλεῖ αἰχμαλώτων δωσεώρεον ὅτιγε ἀπὸ τῆς δαψιλείας τῇ Ρωμαίων προσαγορεύουσι φωνῇ· λαργὰς γὰρ οἱ Λατῖνοι τὰ δαψιλῆ ὀνομάζουσι. *Præerat opibus Imperatori conceſsis, cui Romani ab abundantia nomen dedêre. Nam quod abundat, largum Latinis dicitur.* Vera ratio nominis est, quod hæc bona alendo similibusque liberalitatibus, quas publica res exigit, essent destinati.

DE OFFICIO COMITIS Rerum privatarum.

In notis C.R.P. Formula codicillaris apud Cassiodorum VI. 8. bona huic commissa, τὰ πεκλάτα, apud Theodoretum, & in Procopii arcana hiſtoria. Suidæ & aliis πεκλάτου. hæc ad vestiendum

752607

dum Imperatorem, Augustam, eorumque comitatum impendebantur.

DE OFFICIO COMITIS sacri palatii.

In notis C. S. P. hic est dictus κομης παλατιου.

DE OFFICIO COMITIS sacri patrimonii.

Codicilli apud Cassiodorum VI. 8. unde & ex loco altero XII. 4. discas hæc bona in mensam Principis erogata. Meminêre Procopius in arcana historia: Iustinianus ipse Novella CII. & posterior eo Iustinus Novella I.

DE OFFICIO VICARII.

Cassiodorus VI. 15.

DE OFFICIO RECTORIS provinciæ.

Cassiodorus VI. 21.

L. Moderatores.

Perperam injusteque committant] Illicitè, ut est in Codice Theodosiano.

DE OFFICIO MILITARIVM IVDICVM.

L. Duces.

Castrorum quin etiam refectionis lustrationisque curam habeat] In aliis libris, *lustrianum*, vel *luxurianum*. *Clausurarum* censet legendum Cujacius. Salmasius, *Lusoriarum*.

DE ADSESSORIBVS, ET DOMESticis, & Cancellariis Iudicum.

L. Velut.

Hæc lex in Codice Theodosiano, Eustachio inscribitur. Puto nomen fuisse Εὐσταθιος. Deest ibidem vox *etiam*.

L. Nullus.

Sub fide gestorum ex eodem officio electos] Hæc *ex eodem officio*, absunt in Codice Theodosiano.

Ita ut post depositam administrationem nec militiam deserant] In Theodosiano plus est : *Post depositam administrationem per continuum triennium.*

DE DEFENSORIBVS CIVITATVM.

Sunt codicilli de his apud Cassiodorum VII. II. ubi videbis eo tempore à Principe, aut electos, aut confirmatos.

L. Defensores nihil.

Saviores non exerceant quæstiones] Hoc à Iustiniano mutatum est. Nam in Codice Theodosiano est : *Nullas exerceant quæstiones*, & sequitur: *Plebem tantùm*, &c.

L. Per omnes.

Removeant patrocinia] In Theodosiano, *removeantur.*

DE ADVOCATIS DIVERSORUM JUDICIORUM.

Advocatis solita præmia abstulit Iustinianus, narrante in arcana historia Procopio. De malitiis autem advocatorum digna quæ legantur habes apud Ammianum libro XXX. Symmachus I. 37. *In forensi pulvere rara cognatio facundi oris, & boni pectoris.*

DE ADVOCATIS FISCI.

Advocatio fisci ab Adriano primùm instituta: primus erat ad honores gradus, ut legimus in vita Getæ. Eo officio functus fuit Papinianus. Philostratus Quirino : ὑπεδύθη τῷ τῆ ταμείᾳ γλώττᾳ. *Lingua fisci ipsi commissa.* Macrinus verò ex fisci advocato Imperator factus est.

EX

752607

EX QVIBVS CAVSIS INfamia irrogatur.

L. Neque furti.

Qui cùm plus debito nomine debitorum exegisset] *Debitorem*, emendat Salmasius. Fieri tamen potest ut scriptum fuerit, *Plus debito nomina exegisset*; ut nomina dicta sint pro ipsis debitoribus, &, *debitorum*, Glossema fuerit.

DE PROCVRATORIBVS.

Erat præscriptio procuratoria: & quæstionis fuit an maneat procuratorum officium post mortem domini. Symmachus x. 32.

I. Si fidejussor.

Sex mensium accessionem seu terminum habebit principalis reus peregrè degens] Idem habes apud Eustathium titulo de sex mensibus, §. 15.

VT NEMO PRIVATVS TITVLOS Prædiis suis vel alienis imponat, vel vela regia suspendat.

Chrysostomus de statuis XIII. τὰς ὑπὲρ ἐδήμευον & σημαντρα ἐν ταῖς θύραις ἁπάντων ὧν ἰδεῖν. *Facultates confscabant, & in omnium foribus videre erat vela regia.* Suidas: παραπέτασμα, παραχάλυμμα, παράπλωμα, τὸ λεγόμενον βῆλον. Achmes: τὰ βῆλα & τὰ ὑπερκαλύμματα.

DE IN INTEGRVM RESTITVTIONIBVS minorum XXV. annis.

L. Minoribus.

In quibus se captos probare possunt] Id est læsos. Sic deceptus, id est læsus: in L. dedi, d. sed si servus, D. de condict. causa data. Cicero de officiis tertio: *Vti ne propter te fidemve tuam captus fraudatusve siem.*

SI ADVERSVS VENDITIONEM.

Idque etiam jure jurando servare confirmasti, neque perfidiæ, neq; perjurii me auctorem tibi futurum sperare debuisti] Aliquando tamen Imperatores jurisjurandi faciebant gratiam. L. ult. in princ. D. ad municipal. Suetonius Tiberio 35.

DE HIS QVI VENIAM ætatis impetrarunt.

Formula veniæ talis est apud Cassiodorum VII. 41.

L. Eos qui.

Non solùm alienationem, sed etiam hypothecam minimè posse sine decreti interpositione rerum suarum immobilium facere jubemus] Cassiodorus in dicta formula: *Ita ut in alienandis rusticis vel urbanis prædiis constitutionum servetur auctoritas.*

DE TEMPORIBVS IN INTEGRVM restitutionis tam minorum & aliarum personarum, quæ restituit possunt, quàm etiam heredum eorum.

Et in aliis provinciis quadriennium continuum] *Intra annorum spatia, quibus hoc beneficium leges sacratissimæ præstiterant*, ait Cassiodorus IV. 34.

DE IVDICIIS.

L. A judice.

Cùm ipse judiciario munere fungatur] Benè Heraldus, *fiduciario*. Eam enim vocem usurpat Curtius de rege temporis causa facto: de officio legati militaris, Cæsar.

DE FERIIS.

L. Omnes judices.

Ruri tamen positi agrorum culturæ liberè licenterque inserviant.]

Quippe

752607

Quippe etiam festis quædam exercere diebus
Fas & jura sinunt.

L. Omnes dies.

Qui repetito in se calculo revolvantur] Isidorus v. 32. *octavus autem dies id primus est, (lege idem primus est) ad quem redit ur, & à quo rursus hebdomadæ series oritur*, Beda:

Octavum instaurat revolubilis orbita solem.

VBI SENATORES VEL clarissimi civiliter, vel criminaliter conveniantur.

L. Senatores.

In judicio tam prætorianæ, quàm urbicanæ præfecturæ] Vetustissima de senatoribus cognitio fuit præfecti urbis. Symmachus II. 75. & X. 62.

DE INOFFICIOSO TESTAMENTO.

Etiam Theodosii junioris temporibus filiam immerito exheredatam de testamento queri potuisse docet nos Zonaras.

DE SERVITVTIBVS ET AQVA.

Cicero libro III. epist. 1. ad fratrem. *M. Taurum de aqua per fundum ejus ducenda rogabo.*

DE LEGE AQVILIA. L. DE HIS.

L. De his.

Quæ per injuriam depasta contendis] Convenit cum Baba Kamma VI. 2.

FAMILIÆ ERCISCVNDÆ.

L. Filium quem.

Explica ex L. eam quam, D. de legatis & fideicommissis 1. & l. successores. D. ad L. Falcidiam.

DE TESTIBVS.

L. Iurisjurandi.

Iurisjurandi religione teſtes priuſquam perhibeant teſtimonium, jam dudum arctari præcepimus] Seneca de ira II. 29. *De parvula ſumma judicaturo tibi, res ſine teſte non probaretur: teſtis ſine jurejurando non valeret.*

Simili modo ſancimus, ut unius teſtimonium nemo judicum in quacunque cauſa facile patiatur admitti] ὡς ἑνὶ μαρτυρῶντι πρόσεχθαι, δεῖ Κάτωνι καλῶς ἔχει. *Teſti uni, ne Catoni quidem credi par eſt.* Plutarchus Catone Vticenſi. Baba Kamma VII. 4.

L. Qui falſa.

Quòd ſi is qui ex falſo teſtimonio damnatus eſt, civiliter agere contra teſtem voluerit, quicquid damni fecit, ab ipſo recipiet] Idem Hebræorum jure. Vide Conſtantinum ad Baba Kamma, dicto loco.

PLVS VALERE QVOD AGITVR, quam quod ſimulatè concipitur.

In ſyngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit, & non numerata quoque pecunia aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum ſcribi ſolent, more, inſtitutoque Græcorum. Aſconius in III. Verrinam.

QVOD CVM EO QVI IN ALIENA poteſtate eſt, Negotium Geſtum eſſe dicetur, vel de peculio, ſive quod juſſù, aut de in rem verſo.

L. Ultima.

Pecuniamve mutuam dat] Repoſuit Tribonianus vocem accuratam, cum in ipſa lege fuerit, *pecuniam commodat*, per κατάχρησιν. Nimirum vicini adeo ſunt contractus mutui, & commodati, quemadmodum fœnoris & locati, ut nomina ſæpe

752607

sæpe permisceantur. Cicero Verrina VI: *Publicè commodasti, non sine magno quidem provinciæ Siciliæ detrimento, tritici medios sexaginta.* Nonius: *Commodare est mutuare.*

AD SC. VELLEIANVM.

L. Si mulier.

Creditori contra priores creditores rescissoria datur] Id est restitutoria, nisi forte ita scriptum fuerit.

DE NON NVMERATA PECVNIA.

Indubitati juris est, non numeratæ pecuniæ exceptionem locum habere, & in talibus nominibus vel fœneratitiis, vel aliis cautionibus, quæ etiam sacramenti habent mentionem] Etiam non numeratæ dotis est exceptio annalis. Id in hac lege olim fuit comprehensum, ut discimus ex Eustathio, titulo de anno, §. 10.

DE VSVRIS.

L. Eos qui.

Usque ad bessem] Quæ dicuntur Græcis, ἡμιόκτου: id est duæ partes centesimæ.

DE NAVTICO FOENORE.

Tandiu liberam esse ab observatione communium usurarum, quamdiu navis ad portum appulerit] Nam post aliquot à reditu dies, non debebantur communes usuræ, secundum ea discrimina, quæ sunt in Novella CVI.

DE CONTRAHENDA EMTIONE & venditione.

L. Invitum.

Nemo invitus vendere cogitur. Sed frequens est ut quisque cogatur non vendere, nisi justo pretio. Legis talis de nimio meminit Plinius libro XXVI. Deinde exceptionem hæc lex patitur, ubi

publicus usus id desiderat. Nam reipublicæ institutio id secum fert, ut dominium quoddam habeat superius singulorum dominio ad necessitates aut utilitates publicas. Solet usurpari hoc jus in privatorum terris sumendis ad opera munimentorum, aggerum, operumve publicorum.

QVÆ RES VENIRE NON possunt, & qui vendere vel emere vetantur.

L. 1.

Quæ Blatta] In Glossis, *Battatum* κεκκωτόν. Scribendum est *blattatum*: alibi in Glossis, *blattela*. Τρόμος & ἁμμὶς & τὸ κοσχυλίον. Blattea vestis & paludamentum apud scriptores vitarum Cæsarum. Blattea varietas apud Cassiodorum: Et quod Eutropius in Nerone dixit funes blatteos, id Orosius dixit purpureos.

DE EVNVCHIS.

L. 1.

Si quis post hanc sanctionem in orbe Romano eunuchos fecerit] Vetus lex, ut apparet. L. lege Cornelia, & sequentibus, D. ad L. Corneliam de Sicariis: intermissa sæpe & reducta. Huc notæ illæ pertinent A.T.A. Adolescenti testiculos abscidit.

DE RESCINDENDA VENDITIONE.

L. *Rem majorus.*

Minoris distraxerit] Pro solis venditoribus facta hæc lex. Salvianus: *Ferme omnis contractus hoc in se habet, ut invidia penes emtorem, inopia penes venditorem esse videatur: Quia emtor emit ad hoc, ut substantiam suam augeat: venditor ad hoc vendit, ut minuat.* Vsus hoc produxit latius. At Germani veteres valde abhorrebant ab hujusmodi restitutionibus, per quas bona fides videbatur lædi. Vide Capitulare Caroli Magni v. 210.

L. Si

752607

L. Si voluntate.

Et quod emptor viliore, venditor cariore distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant] Mimus :

Hic est animus omnium,
Vt velint vili emere, caro vendere.

Seneca de beneficiis VI. 15. *Nihil venditori debet, qui benè emit.*

DE REBVS ALIENIS NON alienandis, & prohibita rerum alienatione, vel hypotheca.

Quod si ignoraverint, & eorum facti sunt] Nempe usucapione : hoc ideo moneo, quia video ab aliis legem hanc non rectè intellectam.

DE MONOPOLIIS, ET CONventu negotiatorum illicito, vel artificio ergolaborum, necnon balneatorum prohibitis : & pactionibus illicitis.

Monopolia duorum sunt generum : alia rerum necessariarum vitæ, quæ merito sunt odiosa. Apollonius Aspendiorum Dardanariis ita scripsit: *Terra omnium mater. Est enim justa. Vos autem injusti vestrum solorum matrem eam fecistis.* Contra id genus multa sunt egregia Patrum dicta, ut Chrysostomi 1. Cor. XV. & II. Corinth. VIII. in morali post 13. & constitutio Athalarici ; quæ est apud Cassiodorum IX. 5. Alterum est genus earum rerum, quæ voluptati magis serviunt, ut erinaceorum, & Indicarum mercium, de quibus diximus II. de jure Belli ac Pacis XII. 14. & in Annotatis. Iustinianus tum merces alias, tum sericum ad monopolium reduxit, tam grave, ut triplum emtores pro solito solverent. Postea etiam frumentum,

quod ex Ægypto veniebat, sui juris utilitatisque fecit; Hephæsto maximè adjuvante. Hæc etiam nos docet arcana Procopii historia.

DE COMMERCIIS ET MERCATORIBUS.

De commerciis vide mandata Vicario portus data apud Cassiodorum VII.23. Leges & exactiones Iustiniani in commercia, tum in Hellesponto, tum in Bosphoro Thracio, tum in ipso portu Constantinopolitano habes apud Procopium in arcana historia. Iustinianus imprudenter ademit mercatoribus libertatem eundi in Persidem, per quos consilia externorum explorari solebant. Docet & hoc nos dicto libro Procopius.

L. Si qui.

Si qui inclytas nominatim vetustis legibus civitates, transgredientes] Menander in excerptis: Διετυπώθη ὥστε τὰς Σαρακηνὰς ἢ τοὺς ἀποικοσοῦν βαρβάρους ἐμπόρους ἑκατέρας πολιτείας μὴ διὰ ξένων ἀτραπῶν ποιεῖσθαι τὰς πορείας· μᾶλλον μὲν οὖν διὰ τῆς Νισίβεως καὶ τῆ Δάρας. *Edictum fuit, ne Saraceni aliique mercatores externi utriusque imperii, per vias insolitas itinera caperent, sed per Nisibim ac Daras.*

DE IVRE EMPHYTEVTICO.

Vide Vopiscum Aureliano.

DE SPONSALIBVS ET ARRIS sponsalitiis & proxeneticis.

L. Mulier.

Arrarum sponsalium nomine usque ad duplum teneatur] Apud Varnes, Germanicam nationem, Germanosque alios renuntiari quidem sponsalia poterant, sed non fiebat id sine gravissima partis alterius

752607

alterius offensa: unde sæpe non inimicitiæ tantùm, sed & bella oriebantur. Docet hoc nos Procopius Gothicorum IV. Ideo VVisigothi statuêre, ut annulo in arram dato, non liceat vni parti invita alterâ mutare voluntatem, III. I. 3.

DE NVPTIIS.

L. Imperialis.

Hæc lex per scribarum errorem nomen habet Iustiniani, cùm sit Iustini, sicut & apud Suidam, & alios scriptores sæpe permutata sunt ea nomina. Iustinus hanc legem fecit in gratiam Iustiniani, quem imperio destinabat, & qui scenicam duxerat Theodoram. Ampliavit hanc legem postea in uxoris suæ gratiam Iustinianus, voluitque etiam illustribus licita esse conjugia talia, & quidem sine rescripto, Novellis LI. LXXXIX. CXVII. Causa legum, & tota hujus Theodoræ historia est apud Procopium in arcana historia. Rescripti formulam qua inæqualis duci permittitur, habes apud Cassiodorum VII. 40.

L. Sancimus.

Sancimus nuptias, quæ inter masculos ac fœminas majores vel minores sexagenarios, vel quinquagenarios, lege Iulia, vel Papia prohibitæ sunt, homines volentes contrahere, & ex nullo modo vel ex nulla parte tales nuptias impediri] Lex Papia caverat ne mulier quinquaginta annis minor sexagenario nuberet: neque vir minor sexaginta, quinquagenariam duceret. Meminit Lactantius Senecæ verbis, & Apuleius Apologetico II. Sustulerat olim hoc caput Claudius Suet. 13. Vlpianus in Fragmentis, tit. 16. Repositum ab aliis Imperatoribus, iterum sustulit aut Iustinus, aut Iustinianus. Eustathius sensum hujus legis sic exprimit: ἡ μείζων

τὴν ξ ἐτῶν γαμεῖσθαι τῷ πέντε τὴν ν ἐτῶν δυνάτην. *Mulier major sexagenaria, viro minori quinquagenario potest nubere.* non rectè. Credidit senatus mulieres ad quinquaginta annos concipere posse, viros plerumque generare ad sexagesimum; & noluit fœcundos fœcundásve cum infœcundis copulari.

DE INCESTIS, ET INVTILIBUS NUPTIIS.

L. Fratris.

Vel duabus sororibus conjungendi] Quomodo Honorius habuit Mariam, inde Thermantiam Stiliconis filias. Constantinus quoque Magnus, & pater ejus, sorores duas habuêre. Testis Zonaras.

L. Licet quidam.

Quod certis legum conditoribus placuit, cum corpore non convenerit, nuptias non videri esse contractas] Id jus Hebræi aiunt esse antiquius Mose: eo tempore nuptias factas consensu, si & concubitus secutus esset. Fratris mortui uxorem ducere Romanis antiquis legibus licuit. Exemplum in Crasso apud Plutarchum. Mutarunt id Christiani Principes, etiam apud Longobardos II. VIII. I. nimirum imitatione legis Hebraïcæ Levit. XVIII. ubi tamen excipitur vidua liberos non habens.

SI NVPTIÆ EX RESCRIPTO PETANTUR.

Priscus in exceptis: ἀθέμιτος παρὰ Ῥωμαίοις ἄκοσιν γυναῖκα κατεγγυᾶσθαι ἀνδρί. *Nefas apud Romanos mulierem invitam cuiquam desponderi.* Attamen Theodora omnes nuptias pro imperio faciebat. Narrat id Procopius in arcana historia.

DE

752607

DE SECVNDIS NVPTIIS.

Plutarchus : ζηλωτὸς ὁ πρῶτος γάμος. ὁ δὲ δεύτερος ἀποδυκτός. *Felices primæ nuptiæ, secundæ fugiendæ.* Causa apud Homerum Odysseæ o.

Οἶδε γὰρ οἷσιν θυμὸς ἐνὶ φρεσὶ γυναικός·
Κείνῃ βάλεσθ' οἰκεῖον φίλτατον ὅς κεν ὄπυιον·
Παίδων θ' ἠδὲ πρώτερον ἐκ κουριδίοιο φίλοιο
Οὐκέτι μέμνηθ' οὐδ' ὀπίσσω· ἐδὲ μετόπιθε·

Nosti fœminei quæ mens in pectore sexus :
Crescere vult ejus, cui quæque est nupta, penates:
Nec sobolis cura est illi, nec cura sepulti,
Cui virgo quondam fuerat sociata, mariti.

Ambrosius Hexaemero VI. *Mutato concubitu patres depravantur, prælatis filiis posteriores copulæ : neglectus autem his, qui ex priore progeniti sunt.* Hinc præmia vniviris, pœnæ nuptias repetentibus apud plerasque gentes, de quibus agit Chrysostomus II. ad Viduam & ad Furiam Hieronymus. Servius ad illud IV. Æneidos :

Huic vni forsan poteram succumbere culpæ.

Benè culpæ, potius quàm amori, propter antiquum ritum, quo expellebantur à sacerdotio : item Fortunam muliebrem non coronabant his nuptæ.

DE IVRE DOTIVM.

L. Vbi adhuc.

Rebusque extra dotem constitutis] Hæc Græci vocant, παράφερνα : Latini veteres, receptitia, quomodo rectè eam vocem apud M. Catonem interpretatur Gellius XVII. 6.

DE REPVDIIS.

L. Consensu.

Causas autem repudii hac salubérrima lege apertius designamus] Rex VVisigothorum Theodoricus edicti

edicti cap. 54. causas justas repudii habet, si maritus homicida, maleficus, aut sepulchrorum sit violator: si mulier adultera, malefica, vel agagula. Agagula est lena.

RERVM AMATORVM.

L. I

Quam petitioni mutuæ responsum fuerit] Mutuarum petitionum mentio apud Tertullianum adversus Marcionem II.

DE CONCVBINIS.

Olim concubinæ fermè erant libertinæ. Imperator Tacitus constituit, ne sumerentur nisi ingenuæ.

DE EXCVSATIONIBVS TVTORum & curatorum.

Concilii Aurelianensis IV. canon vult à tutela excusari sacerdotes. Congruit id veteri Episcoporum statuto, cujus meminit Cyprianus epistola LXVI. *Ne quis de clericis & Dei ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat.* Addit, si quis id faceret, pro eo nec offerri solitum, nec sacrificium pro dormitione ejus celebrari.

SI MAIOR FACTVS ALIENAtionem factam sine decreto ratam habuerit.

L. Si quando.

Nisi post viginti quinque annos impletos, inter præsentes quidem vicennium, inter absentes autem decennium donatore acquiescente effluxerit] Eustathius titulo XXV. ἐὰν ὁ ἀφῆλιξ συγχώμωι ἡλικίας αὐτήσας δωρήσηται τινι, καὶ ἐρρώσθαι ἢ δωρεὰ, εἰ μὴ ἄρα μὴ πὺς κέ σιαυτὸς δέκα ἢ κ' σιαυτὶ παρεκδράμωσι.

752607

δράμωσι. *Si minor qui ætatis veniam impetravit, donationem fecerit, ea rata non sit, nisi post annos* XXV, *anni decem aut viginti effluxerint.*

DE SERVIS FVGITIVIS, ET libertis, mancipiisque civitatum artificibus, & ad diversa opera deputatis & ad rem privatam, vel dominicam pertinentibus.

De his qui aliena mancipia sollicitant est titulus 41. in lege Salica. de eo qui fugitivum cælaverit, lex VVisigothica IX. tit. I. lex Burgundica, tit. VI. & in legibus Kanuti tit. 12.

DE FVRTIS ET SERVO corrupto.

Benè furta fugam sequuntur. Martialis:

A pedibus didicere manus peccare protervæ:
Non miror furem, qui fugitivus erat.

Et benè furto additur corruptio. Aristoteles Rhetoricorum ad Alexandrum I. 2. ὥσπερ γὰρ ὁ νομοθέτης μεγίστας ζημίας τὰς κλοπὰς ἐπέθηκεν, ὅπως δὴ καὶ τοὺς ἐξαπατῶντας μᾶλλον τιμωρεῖσθαι. καὶ γὰρ ἅπτει κλοπῆς τὴν διάνοιαν: *Sicut legum conditor furem maximis affecit pœnis, ita & gravissimè punire oportet deceptores. Nam hi animum furantur.*

L. *Ancillæ.*

Cùm etiam hi qui aliena mancipia comparaverint, si hanc causam non ignorent, furti actione teneantur] Baba Kamma. X. 9.

DE IMPVBERVM ET ALIIS substitutionibus.

L. *Precibus.*

Vel expressè, vel compendio] Id est, quandocunque decesserit. Hinc malè appellata Iurisconsultis serioribus compendiosa substitutio.

SI QVIS ALIQVEM TESTARI prohibuerit, vel coëgerit.

L. Iudicium.

Deest hîc lex quarta, quam supplere possumus ex synopsi Attaliatæ: ἐάν τις κωλύσῃ τινα διαθέσθαι ἢ ἀρξάμενον αὐτὸν κωλύσῃ πληρῶσαι τὴν διαθήκην, κατέχεται μὲν τῷ ζημιωθέντι ἀφορμάς τ' κωλύσεως, ἤτοι τῷ μέλλοντι γράφεσθαι κληρονόμῳ, ἢ λογαταρίῳ εἰ μὴ ὅτῳ ἐκώλυσεν· ⁊ εἴτι ἄλλο περισσεύῃ μὴ ταῦτα, δημόσιον ἔσται, ⁊ αὐτὸς ἐν' ἐξορίᾳ τ' λοιπὸν βίον καταλύῃ ⁊ ὅσα ἂν μὴ τὴν ἔκτισιν τέτων αὐτῷ ἀφειλήφθῃ, δημεύεται. *Si quis aliquem testari prohibuerit, aut cœptum testamentum perficere, ei qui ob id damnum passus est, tenetur ex prohibitione, sive is sit qui fuisset institutus hæres, sive legatarius, nisi hic ipse prohibuerit. Si quid præterea in mortui bonis restat, id fisco addicetur, & ipse per omne vitæ tempus exsilium feret, & si quid post pœnam persolutam ei bonorum restat, & hoc addicetur fisco.*

DE CADVCIS TOLLENDIS.

Iuvenalis:

Propter me scriberis heres:
Legatum omne capis, nec non & molle caducum.

Vbi Scholiastes: *Scriberis heres, & non pateris pœnas orbitatis.* Laudat Valentem Ammianus libro XXXI. quòd si qui ex Palatinis, ut sunt talium avidi, caducum petisset, contradicendi copia servata, dabat petenti partem, simulque tribus aut quatuor aliis, qui non petierant, ut ea re aviditatem petentium refrænaret. *Caducum appellatur*, ait Vlpianus, *quod quis sibi testamento relictum aliqua ex causa non ceperit, verbi gratia, si cœlibi, vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum, vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus*

ius

752607

jus Quiritum consecutus fuerit, aut si ex parte scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregre (lege *peregrinus*) *factus sit.* Vides hic vocem, capere, quæ propria huic rei. Statius Papinius:

Stat domo capta cupidus superstes.

Iuvenalis:

Si capiendi
Ius nullum uxori.

Vbi Scholiastes: *Si jure impediatur succedere.* Manilius:

Quas ceperat ipse,
Non legabit opes.

De Testamentaria Manvmissione.

L. Si jure.

Cùm non fuisse adjectum, ut pro codicillis scriptum valeret, proponas] Qualem clausulam produximus ex testamento Gregorii Nazianzeni, ad L. ex ea scriptura, D. qui testamenta facere possunt.

L. Cùm constitutio.

Sed plures quidem uno momento, uterque, vel ampliores] *Vterque*, pro *duo* est positum.

De Liberali Causa.

L. 1.

Factum tuum filiis obesse non debet] Pari de causa proposita quæstione, de iis qui liberi nati expositi, deinde sublati à quibusdam & in servitutem educati essent, respondit Trajanus, nisi jus speciale doceretur, nec assertionem denegandam iis, qui ex ejusmodi causa in libertatem vindicantur, neque ipsam libertatem redimendam pretio alimentorum. Alibi lex erat, ut expositum qui agnovisset, solutis alimentis eum reciperet. Seneca controversiarum IV. 26. Alii Imperatores expositum omnino vetuêre repeti, sed tamen esse liberum. Vide infrà, de infantibus expositis.

NE DE STATV DEFVNCTORVM post quinquennium quæratur.

Capitolinus in vita Antonini de hac lege: *De statu etiam defunctorũ intra quinquennium quæri jussit.*

DE QVADRIENNII PRÆSCRIPTIONE.

L. Omnes qui.

Malè hanc legem interpretatur, & ad Arcadii tempora refert Georgius Patriarcha Alexandrinus in vita Chrysostomi.

DE PRÆSCRIPTIONE XXX. VEL XL. annorum.

Illud de quadraginta annis adjecit Iustinianus. Iure Theodosiano actiones omnes excludebantur XXX. annis. Theodosius legislator reponendum in c. vigilanti x̃. de præscriptionibus, ubi tamen malè additur, *vel quadragenali.* Symmachus v. 54. *Triginta annorum diebus incanuit ætas possessionis.* Et 66. *Contractus istius origo justa: ætas prope sæcularis, qua intentata possessio est.* Vbi seculum sumit pro XXX. annis, secundum sententiam eorum, quos Servius refert ad VIII. Æneidos. Hoc jus, non posterius Iustinianeum, receptum in Galliis fuit, quia Theodosii tempore Galliæ erant Romanorum, quas Iustiniani tempore Franci, Burgundiones, Gothi tenebant. Sidonius VIII. 6. *Per ipsum ferè tempus ut decemviraliter loquar, lex de præscriptione tricennii fuit quiritata, cujus peremtoriis abolita rubricis, lex omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Hæc lex etiam in Ecclesiarum controversiis antiquitus valuit, ut apparet Synodi Chalcedonensis canone 18. Facundus Hermianensis in epistola contra Vigilium: *Cum & humanæ leges XXX. annis humanas adimant quæstiones.* Secuti hanc legem in suis Imperiis Gothi, lex VVisigothica X. tit. II. 4. *Tricennalis ergo transcursio*

752607

sio temporum cùm jam constanter inoleverit in negotiis actionum, ut non jam quasi ex institutione humana: sed veluti ex ipsa processisse rerum natura videatur. Vide edictum Theodorici cap. 12. Ideo Cassiodoro tricennalis præscriptio vocatur patrona humano generi v. 37. πεντηκονταετὴς παραγραφὴ, hæc dicitur Procopio Vandalicorum 1. aitque Honorii constitutione excepta ea, quæ à Vandalis tenebantur. Etiam Venetis solam præscriptionem tricenariam, omnes actiones absolvere notat Bembus historiæ III.

L. Omnes.

Et sine ulla re ipsa illata judiciaria contentione] *Reipsa*, id est ut non sufficiat libellum obtulisse.

Superque sua conditione] Hic, *que*, abundare videbit, qui sensum inspexerit.

Simili munitione] Nempe possessionis.

Si liber] *Sit liber.*

L. Cum notissimi.

Hæc est lex, quam respicit Procopius in arcana historia dicens: ἐπεὶ δὲ ὁ νόμος ἐμποδὼν ἵστατο, τὰς μὲν ἄλλας δίκας ἀπάσας εἰς πεντηκονταετίαν παρεγεφύλαξεν ἀγών, ὀλίγας δὲ ἁπάσας καὶ τὰς ὑποθηκαρείας καλουμένας παραρρήγνυται αὐτῶν μήκει ὀκτὼ ἐτῶν. *Cùm verò lex obstaret, quæ lites aliàs tricenariæ præscriptioni includit, paucas verò, & inter has, eas, quæ dicuntur hypothecariæ, perimit spatio annorum* XL. Archelaus, ad quem est hæc lex, fuit præfectus prætorio sub Iustino: unde rectè colligit Alemannus. L. legem nemo, supr. de advocatis diversorum judicum esse Iustini, non Iustiniani, ut & præcedentem ad Theodotum.

DE SENTENTIIS EX PERICVLO recitandis.

Planè accedo viro raræ eruditionis, summarumque virtutum Iacobo Sirmondo, & hic, & in Codice

dice Theodosiano, & apud Ciceronem in frumentaria, & apud Probum Epaminonda, & in Magnonis notis legendum *pariculo*, quomodo apud Marculfum, *paricula chartæ*. Pariculum est τὸ ἴσον, exemplum nitidè descriptum ex archetypo, quod plerumque lituras, & mutationes habebat.

SENTENTIAM RESCINDI NON POSSE.

Symmachus x. 5. *In negotiis tempore ac judicatione finitis, cessare æquum est longæ orationis excursum.*

COMMINATIONES, EPISTOLAS, PROGRAMMATA, SUBSCRIPTIONES, AUCTORITATEM REI JUDICATÆ NON HABERE.

Symmachus. x. 47. miratur comminationem sub conditione depromtam, instar cujusdam debiti duci: deinde addit: *At verò iste terror Divi Principis literis comprehensus, ne viventem quidem posset urgere. Gravia enim subjectis sæpe minitamini, acuendi potius studio, quàm nocendi. Hoc etiam divus genitor tuus, in omnium semper animis & ore victurus, pia lege constituit, qui sententiam quoque sub comminatione depromtam, effectu atque executione vacuavit.*

SI EX FALSIS INSTRVMENTIS VEL testimoniis judicatum sit.

Lex est Platonis XI. de legibus: ὁπόσων δῆλαι, μαρτυρίαι ἀλλῶσι δίκῃ ψευδῆ δοξάντων μαρτυρεῖν, ἢ τῷ νικῶντι τῶν ἐλόντι πεποιηκέναι, ἐὰν τῷν τοιούτων ἥμισυ μαρτυριῶν καταδικασθῶσι τινες, τῷ κτῆ ταύτας ἀλῶσαν δίκῃ ἀνάδικον γίγνεσθαι. *Vbi testimonia falsa interceßisse apparet, & victoriam ei tribuisse secundum quem lis data est, si major, quàm dimidia pars testium damnata sit, sententia ex eorum fide prolata non valeat.* Sic ad evertendam sententiam ex fide falsorum testium latam, tendit oratio Demosthenis in Euergum & Mnesibulum.

Harpo-

752607

Harpocration : ἀναδικάζεσθαι, τὸ ἀνωθεν δικάζεσθαι. ὅτος ἐν τῷ Ὑπὲρ Κτησιφῶντος. ἐπεὶ δὲν ἐστὶ τὸ ἀναδίκους κρίσις, ὅτε ἁλῶσιν οἱ μάρτυρες ψευδομαρτυριῶν. Ait rescissa fuisse judicata, si testes qui fuerant, falsi testimonii essent convicti. Romæ Cæso damnatus fuerat teste Volscio: ad eam sententiam rescindendam Volscio falso testi dies dicta est, narrante Livio libro III. Vide legem Zenonis, quam ex Basilicis profert Cujacius XIII. observ. 38. quæ esse debet decima tertia, suprà De testibus.

INTER ALIOS ACTA AVT IVDICATA, aliis non nocent.

Symmachus X. 4. *Quando absentibus atque ignorantibus inter alios gesta nocuerunt?* Augustinus epistola CLII. *Nec causa causa, nec persona persona præjudicat.*

DE RELATIONIBVS.

Multæ sunt tales in epistolis Plinii. Vide & Symmachum. II. 30.

DE APPELLATIONIBVS, ET consultationibus.

L. *Appellatione.*

Appellatione interposita licet à judice repudiata sit, in præjudicium deliberationis nihil fieri debere, & in eo statu omnia esse, quo tempore pronuntiationis fuerunt, sapissimè constitutum est | Iudice nempe, à quo appellatur : in præjudicium deliberationis, ejus scilicet qui dubitat, an appellationem recipere debeat. Augustinus epistola 137, *Potestati sub cujus examine causa pendet, facit injuriam, qui illius judicium suo vult judicio prævenire, quod neque quidem in judiciis secularibus judices faciunt, quando causæ dubitatio ad majorem potestatem refertur, ut pendente relatione, aliquid audeant commutare.*

SI DE MOMENTANEA POSSESSIONE fuerit appellatum.

Cùm de possessione, & ejus momento causa dicitur, & si appellatio interposita fuerit, tamen lata sententia sortitur effectum] Symmachus x. 4. *In causis quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet.* Et 46. *In causis appellationum malo jus potestatis infringere, quàm interpretationum dubia sustinere, præsertim conscius haud iniquæ judicationis, cui nonnihil honoris eveniet, si æternitatis vestræ oraculo roboretur, Domine Imperator. Tuli igitur Constantium Suarium temerè provocantem, cùm ex præscripto numinis vestri statum, quem Theodosio absenti ademerat, reformassem.* Quid sit momentum diximus ad titulum Digestorum de Vi, ac de Vi armata.

VNDE VI.

Si quis in tantam furoris pervenerit audaciam, ut possessionem rerum, apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum, ante adventum judicialis arbitrii violenter invaserit, dominus quidem constitutus possessionem quam abstulit, restituat possessori, & dominium ejusdem rei amittat] Hæc ipsa est lex quam in usum reduxit Athalaricus Gothorum rex, apud Cassiodorum IX. 18. quem vide.

SI ALIENA RES PIGNORI DATA SIT. *L. Vltima.*

Nexum non facit prædiorum, nisi persona, quæ jure potuit obligare] Hebræi tamen aliter statuerunt in re mobili, ut dominus à domino oppignoratam luere debeat, si eam velit recuperare. Quod hodie apud quasdam gentes, non omnibus, sed certis creditoribus ex privilegio conceditur. Vide Baba Kamma x. 3. & ibi à Constantino dicta.

752607

QVI POTIORES IN PIGNORE habeantur.

L. Scripturas.

Nisi fortè probati atque integra opinionis trium vel amplius virorum subscriptione eisdem idiochiris contineantur: tunc enim quasi publicè concepta accipiuntur] Ex veteri jure Græco. Vide syngraphan à tribus subscriptam testibus in Demosthenis replicatione contra Lacritum. Vide L. super Chirographariis, suprà, si certum petatur.

DE PACTIS PIGNORVM, ET LEGE commissoria in pignoribus rescindenda.

Vide quæ diximus ad L. nec hypothecæ, D. de pignoribus ac hypothecis.

DE EVICTIONIBVS.

L. Si post perfectam.

Unde cùm parte pretii numerata, domus quam emisti, tibi velut pignoris jure obligata, ne ad emtionem accederes, denuntiatum ab aliquo proponas] Pro *tibi*, lege *sibi*, & id refer ad eum qui denuntiaverat. Est inversa locutio, quia reciprocum pronomen solet suum nomen sequi, non semper tamen, ut cùm dicimus:

Trahit sua quemque voluptas

Item:

Et sua riserunt sæcula Mæoniden.

Negligere quid de se quisque sentiat, est dissoluti. Est apud Ciceronem.

DE POSTLIMINIO REVERSIS, ET redemtis ab hostibus.

L. Diversarum.

Hæc constitutio hic curtata, exstat integra in Appendice ad Codicem Theodosianum, quam Sirmondo debemus.

DE

DE INFANTIBVS EXPOSITIS.

Vide quæ dicta suprà, de liberali causa. Adde Ælianum II. 7. Philonem de legibus specialibus.

DE REVOCANDIS DONATIONIBVS.

L. *Si unquam.*

Si unquam liberto patronus filios non habens] Planum est legem agere de donationibus, non quibusvis, sed in libertos collatis, qualis liberalitas satis erat frequens. Vide L. si verò, §. inde. D. mandati. Augustinus: *Quàm laudabile factum sancti, & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit os omnium, qui sciunt, laudibus Dei? Quidam cùm filios non haberet, res suas omnes, retento usufructu donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii: & reddidit episcopus nec opinanti quæ illi donaverat. In potestate habebat episcopus non reddere, sed jure fori, non jure cœli.* Vides hîc legem hanc Augustini temporibus valuisse tantum in sua specie, quam expressit ad Codicem Theodosianum Aianus, aut quisquis ibi annotatorum auctor est. Sed æquitas in hac re, ut in multis aliis usu recepta, in viam juris transiit, etiam apud Longobardos libro II. tit XII. 18. & XX. 1.

L. *Generaliter.*

Ne sit cuiquam licentia, & alienas res capere, & frugalitatem irridere donatoris] Nullus hîc locus frugalitati. puto scriptum fuisse, *prodigalitatem.*

DE ACCVSATIONIBVS ET inscriptionibus.

Symmachus epistola X. 63. *Quid habeat conditionis inscriptio, nostis præ cæteris juris conditores domini Imperatores. provisum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, ni se idem prius pœnæ sponsione vinciret.*

L. In

752607

L. In causis.

Qui ex officio ingrediuntur secretarium] Intra velum secretarii. Vide quæ diximus ad Math. XXVII. 19.

DE CVSTODIA REORVM.

L. Neminem.

Si quidem ex delatione publicarum personarum intra sex menses judicetur] Habet & hoc, & quod sequitur, Eustathius titulo de sex mensibus, §. 13.

SI QVIS IMPERATORI MALEDIXERIT.

Meminêre hujus legis Zonaras ad Canonem Apostolicum 34. Balsamo titulo X. Verum quidem est quod ait Paulinus epistola XIII. majore impietate lædi eum qui nescit offendi: & apud Arnobium legimus: *Majestatis apud vos reus, qui de vestris obmurmuraverint aliquid regibus.* Quomodo & Paulus dixerat non solum facto, sed & verbis impiis exacerbari crimen majestatis V. XXIX. §. 1. Sed & verum quod Tacitus monet Annalium III, vana à sceleſtis, dicta à maleficiis differre. Et Titi illud apud Suetonium, bonum Principem injuria affici non posse. Quare laudati semper viri Principes impune verbis impetiti. Pisistratus cùm uxorem sciret multis in publico affectam probris, negabat eam eo die exiisse. Dionysius cùm audisset juvenes duos plurima de se suoque imperio mala dixisse, vocavit eos ad cœnam, vidensque alterum multa bibentem, multa dicentem, alterum potu utentem magna cum cautione: illum dimisit, ut natum ebriosum, & ex ebrietate maledicum, alterum interfecit ut malitiosum & ex proposito sibi inimicum. Philippus Macedo maledicum tanquam ægrotum sanari jussit. Antigonus militum sibi malidicentium aperto tabernaculo: Malè vobis erit, inquit, si non longius à nobis absistatis,

ubi nobis maledicere voletis. Mæcenas in oratione ad Augustum, quæ est apud Dionem, monet talia nec rigidè inquirere, nec exsequi. Secutus hoc Tiberius omnium Augusti factorum imitator, dicens in civitate libera, liberas linguas esse debere. Et senatu, ut erant illa tempora fœcunda adulationum etiam sævarum, cognitionem de hujuscemodi criminibus flagitante, non tantū, dixit, otii habemus, ut implicare nos pluribus debeamus: Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis: omnium inimicitiæ hoc prætextu ad nos deferentur. Ejusdem est hoc sane laudabile. *Si quidem locutus aliter fuerit, dabo operam ut rationem factorum meorum, dictorumque reddam. Si perseveraverit, invicem eum odero.* Proponitur in Ammiani libro XXIX. quæstio hæc philosophica, & cogitanda nobis ex philosophorum exemplis injicitur, an omnia talia contra Imperatorem dicta ad Imperatorē sint deferenda.

AD LEGEM IVLIAM MAIESTATIS.

L. Si quis.

Minimè quisquam privilegio dignitatis alicujus à strictiore inquisitione defendatur] Nec milites castrenses, nec Palatini, nec decuriones. Vide legem sequentem, ac Paulum v. sent. tit. XXIX. in fine. Id constituêre Imperatores suæ salutis, imperiique curam gerentes quàm maximam. L. 1. & 2. Cod. Theodos. de quæstionibus. Sæpe id & profuit, & nocuit. Ammianus Marcellinus libro XXVIII. de Maximino Præfecto annonæ: *His ille cognitis efferatus, ut erat acer vitiorum inimicus magis quàm severus, uno proloquio in hujuscemodi causas, quas arroganti proposito majestatis imminutæ miscebat, omnes quos juris prisci justitia, divorumque arbitria quæstionibus exemere cruentis, si postulasset negotium, statuit tormentis affligi.* Chrysostomus XIII. de statuis: ἔνθα γὰρ αὖ ἡ καθοσίωσις, ἀξίωμα ὄφελος οὐδὲν ὠφελεῖ. *Nihil juvat dignitas, ubi de majestate agitur.* Multa habet de hoc

752607

hoc crimine Latinus Facatus, qui ejus fontes publicos vocat parricidas. Ejusdem est: *Pertinet ad securitatem omnium sæculorum, quod est factum videri, ut si quis unquam nefaria vota conceperit, monumentis nostrorum hominum recensitis, per oculos hauriat innocentiam.*

L. Quisquis.

Ad exemplum hujus legis facta lex Caroli IV. pro electoribus.

L. 1.

De nece etiam virorum illustrium, qui consiliis & consistorio nostro interfunt, senatorum etiam, (nam & ipsi pars corporis nostri sunt) vel cujuslibet postremo qui nobis militat, cogitaverit] Attaliata: ἐαί τις συνωμοσάμενος μετὰ στρατιωτῶν ἢ βαρβάρων φονεῦσαι ἑλλήνων ἁπλῶς οἱουδήποτε συγκλητικὸν ἢ στρατιωτικόν. Prudenter id constitutum. Nam qui imperium sibi volunt capere, plebem decipiunt, adductis in odium eis, quorum opera Imperator utitur. *Imperium cupientibus*, ait Tacitus historiarum II. *nihil medium inter summa & præcipitia.*

Eadem enim severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri jura voluerunt] Benè hoc dictum ex vetere jure Romano, quo in maleficiis, nempe gravioribus, etiam cogitata mala, non perfecta adhuc, vindicabantur, cruenta mente, pura manu. Tertullianus de pœnitentia. *Voluntas ne tunc quidem liberatur, cum difficultas perpetrationem ejus intercipit.* Seneca in excerptis controversiarum IV. 7. *Scelera quoque, quamvis extra exitum subsederunt, puniuntur.* Filius Seneca de beneficiis V. 14. Iatronem esse ait etiam antequã manus inquinet. Quintilianus declamatione CCCLXXII. *Lex mentem punit.* Paulus sententiarum V. 4. *Sollicitatores alienarum nuptiarum, itemque matrimoniorum interpellatores, etsi effectu sceleris potiri non possint, propter voluntatem pernitiosæ libidinis extra ordinem puniuntur.* Prosper Aquitanicus:

Cui nimis hoc solum quod voluit, nocuit.

Sed hoc posterior ætas fermè ad solum retraxit crimen majestatis.

Et præmio, & honore à nobis donabitur] Multa habes exempla apud Livium & Halicarnassensem præmiorum, quæ conjurationum, aut aliorum consiliorum, reipublicæ nocentium delatores & indices sunt consecuta. Sallustius in Catilinaria narrat decrevisse Senatum, si quis indicasset de conjuratione quæ contra rempublicam facta erat, servo libertatem, & sestertia centum; libero impunitatem ejus rei, & sestertia ducenta. Sed ea res ut necessitate interdum excusatur, ita periculo non vacat. Ammianus libro XXVI. *Vt quisque ea tempestate ob quamlibet valuerat causam, regiæ prope accedens, & aliena rapiendi aviditate exustus, licet apertè innocentem arcesserit, ut familiaris suscipiebatur ac fidus, ditandus casibus alienis.* Delatores, genus hominum, ait Tacitus Annalium IV. publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam satis coërcitum, per præmia elicebantur.

AD LEGEM IVLIAM DE ADVLteriis, & stupro.

L. Crimen.

Crimen lenocinii contrahunt, qui deprehensam in adulterio uxorem, in matrimonio retinuerunt, non qui suspectam adulteram habuerunt] Vide quæ diximus ad L. ex L. Iulia, D. de lege Iulia de adulteriis. Antonini rescriptum erat insertum Gregoriano Codice: *Sanè literæ meæ nulla parte causæ præjudicabant. Neque enim, si penes te culpa fuit, ut matrimonium solveretur, & secundum legem Iuliam, Eupasia uxor tua nuberet, propter hoc, rescripto meo adulterii damnata erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos inquirere, an tu cum pudicè viveres, illi quoque colendi bonos mores auctor fuisti: periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat,*

752607

exigat, quam ipse non exhibet: quæ res potest & virum damnare, non, ob compensationem mutui criminis, rem inter utrumque componere, vel causam facti tollere. Citat Augustinus de adulterino conjugio, & ex eo Hincmarus in opusculis p. 447.

L. Si ea qua.

Ac prostitutam meretricio more se prabuit, adulterii crimen in ea cessat] Terentius in Eunucho:

Quis homo pro mœcho unquam vidit in domo meretricia
Deprendi quenquam?

L. Quæ adulterium.

Virum domina cauponæ, an ministra fuerit] Hebræis תוינ tam caupenam, quàm meretricem significat. Talis copa Syriſca in Virgiliano carmine, & γυνὴ καπηλὶς in Philostrati epistola. Sic apud Suetonium vita Neronis XXVII. *Insignes ganeæ, & matronarum institoria, copas imitantium.* Xiphilinus describit Avitum, τὰ τῶν καπηλείων ἐργαζόμενον, copas imitantem. Adde l. Palam, §. si qua cauponam, D. de ritu nuptiarum.

L. Cùm vir nubit.

Cùm vir nubit in feminam viris porrecturam] *Cùm vir nubit femina in viros arrecturæ.* Hoc est quod dicit Seneca epistola XCV. *Femina viros ineunt.* Vide Polybium & Suidam de Agathocle. Aliud igitur hic describitur quàm ἀρρενοκοιτία, quæ tamen & ipsa aliis legibus punita, teste Cyrillo contra Iulianum libro V. Iustiniani tempore plurimos hoc crimine sive vero, sive falso prostratos narrat Procopius in arcana historia.

L. In adulterii.

Ab omni familia non solum mariti, sed etiam uxoris, quæ tamen tunc temporis domi fuerit, quo adulterium dicatur admissum, quærendum est sine defensione cujusquam] Olim id in incesto receptum, non in

adulterio, diximus ad titulum Digestorum, de quæstionibus. Etiam ad παιδεραστίας crimen hoc protulit Iustinianus, eodem illo Procopio teste.

DE MVLIERIBVS QVÆ SE PROpriis servis junxerunt.

Tertullianus ad uxorem II. *Nonne insuper censuerunt servituti vindicandas, quæ cum alieno servo, post dominorum denuntiationem, in consuetudine perseveraverunt?* Etiam Hebræo jure feminis liberis vetitum servo nubere. Notari id solet ad Deut. XXIII. 17.

DE RAPTV VIRGINVM SEV VIDVARVM, nec non sanctimonialium.

Qui Virgini pudorem eripuisset, capitali supplicio addictus: qua de re exemplum est apud Ammianum libro XV. Sub posterioribus Imperatoribus adhibita non una distinctio. Nam qui vim intulisset pactæ alienæ, ut adulter puniebatur: qui non pactæ, ducebat eam sine dote, aut si eam nollet, naribus abscissis, bonorum tertia parte mulctabatur. Quod si non vim intulisset puellæ, sed blanditiis eam pellexisset ad impudicitiam, aut eam ducebat, aut facultatum suarum parte ei satisfaciebat. Ni faceret, verberatus & tonsus relegabatur. Hæc in Eclogis Basilicon, in Harmenopulo, & in Zonara, ac Balsamone ad Canonem Apostolicum LXVII. Ex edicto Theodorici; Si consentiat rapta raptori, pariter occidebatur, §. 17. Idem ex lege VVisigotherum, si ei nuberet, III. tit III. 2. Lege Caroli Magni VII. cap. 311. vetatur feminam ducere, qui eam rapuit, vel seduxit: ac præterea mulctam solvere tenetur, & canonicam ferre pœnitentiam. Ejusdem Caroli Magni temporibus, raptor qui sub lege Romana viveret, morte puniebatur: sed solebant ea de re transactiones fieri, quæ compositiones vocabantur, quarum exem-

pla

752607

pla habes apud Marculfum LXXXI, & sequentibus. Sed sciendum non omnem vim puellæ illatam esse cum raptu: & raptum puniri etiam stupro non secuto. Rapere enim est, vel invitam, vel invitis parentibus, aut tutoribus, puellam alio transferre.

L. 1.

Qui hostili more in nostra republica matrimonia student sibi conjungere] Helena Paridi:

Qui sic intrabas hospes an hostis eras?

De Emendatione Propinquorum.

Curtius libro VIII. *Morepatrio, & ab antiquissimis Macedoniæ regibus usurpato, eam castigari jussi. Hoc & oportet fieri, ut à tutoribus pupilli, a maritis uxores. Servis quoque hujus pueros ætatis verberare concedimus.* Est ea de re locus egregius Xenophontis Ἀναβάσεως v. circa finem.

De Maleficis, Et Mathematicis, & ceteris similibus.

Mathematicorum vox eo tempore infamis erat, significans eos, qui ex astris futurorum notitiam profiterentur. Gellius 1. 9. *Vulgus quos gentilitio vocabulo Chaldeos dicere oportet, Mathematicos dicit.* Contra quos egregia disputatio est apud eundem Gellium 1. 9. XIV. 1. & altera Bardesanis in Philocalia, ex Origene descripta. Iidem & malefici dicti. Malefici, astrologi apud Scholiasten Iuvenalis: quanquam hæc vox in magos rectius convenit, de quibus & hoc titulo agitur. Vide L. ultimam. Vlpianus productus, in collatione legum Mosis cum Romanis: *Sapissime denique interdictum est ferè ab omnibus Principibus, ne quis omnino se hujusmodi ineptiis immisceret.* Durus in Astrologos fuit Iustinianus. Iussit enim eos camelis vectos traduci, & in humeros cædi. Præcipuè verò capitale sem-

per fuit astrologos de Principis salute consultare. In Pauli sententiis. v. tit. XXI. *Qui de salute Principis, vel summa republica mathematicos, ariolos, aruspices, vaticinatores consulit, cum eo qui responderit, capite punitur.* Exemplum habes apud Ammianum XXIX. Meminit & Firmicus II. 13. Apud VVisigothos pœna erat, flagra, aut servitus, VI. tit. II. I.

L. Multi.

Multi magicis artibus usi] De hoc crimine habes apud Cassiodorum IV. 23. Grave crimen, si probetur. Sed ob difficultatem probationis, multi suspicionibus nimium indulgent. Itaque plurimos, etiam innocentes, eo crimine eversos narrat Ammianus XXIX. Theodoram magicis artibus mirum in modum addictam fuisse narrat Procopius.

De Falsa Moneta.

Capitis pœna, & publicatio in metalli mixtores decreta. Habes id in vita Imperatoris Taciti. Vide quæ ad titulum Digestorum De falsis dicta.

De Seditiosis, Et De His Qvi Plebem contra rempublicam audent colligere.

Arnobius IV. *Magistratum in ordinem redigere, senatorem aut convitio prosequi, suis esse decretis periculosissimum pœnis.* Ammianus libro XXVIII linguam narrat maledicis præcisam.

De Inivriis.

Et dignitatis habitum, & ornamenta præferret] Tertullianus de resurrectione. *Habitus indices custodesque dignitatis.* Et de pallio: *Proprius habitus uniuscujusque est, tam ad usum quotidianum, quàm ad honorem & dignitatem.* Epictetus apud Arrianum: ἀρμό-

752607

ἁρμόζεται τὸ ἔθνος πρὸς τὴν τέχνην. *Aptatur artificio habitus.* Alexander Severus narrante Lampridio in animo habuit, omnibus officiis genus vestitus proprium dare.

DE FAMOSIS LIBELLIS.

Arnobius libro IV: *Carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune.* Trajanus ad Plinium: *Sine auctore propositi libelli crimine locum habere debent. Nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.* τοῖς λεγομένοις φαμώσοις, ait Ioannes Antiochenus in historia Ioviani. Adde quæ diximus ad titulum Institutionum de injuriis.

DE NILI AGGERIBVS NON rumpendis.

Si quis posthac per Ægyptum intra duodecimum cubitum fluminis ultra fluenta de propriis ac vetustis usibus præter fas, præterque morem antiquitatis usurpaverit] Vbi Nilus ad incrementum XII. cubitorum pervenerat, usurpabat de eo quisque quantum volebat. Ante id tempus non plus quàm singulis mos vetus concesserat, per incilia scilicet. Attaliata: ἐὰν ὑ τῆι Αιγύπτω εἰς κατωτέρω τὸ δωδεκαπήχυς διωρύξῃ τις τὸν τόφρον τὸ Νείλε. *Si quis in Ægypto aperuerit aggerem, infra cubitum duodecimum.*

Sic ut nunquam supplicandis eis, vel recipiendi civitatem, vel dignitatem, vel substantiam licentia tribuatur] *Supplicandi* rectè legitur in Codice Theodosiano. Attaliata: μηδὲ ἀνακλήσεως ἢ συγχωρήσεως διὰ τ εἰσαεὶ δεήσεως ἐλπιζομένης αὐτοῖς. *Ita ut nulla illis revocatio, aut indulgentia per quascunque preces sperandæ sit.*

DE POENIS.

Si vindicari in aliquos severius contra nostram

consuetudinem pro causa intuitu jusserimus, nolumus statim eos aut solvere pœnam, aut excipere sententiam, sed per dies XXX *super statu eorum sors & fortuna suspecta sit*] Hæc est lex, quam Ambrosio monente scripsit Theodosius, expertus in Thessalonicensium pœna, quam periculosum esset ipsis Principibus, tales epistolas statim impleri. Neque enim de omnibus reorum pœnis hic agitur: sed de iis quæ per epistolam Principis exigi jubentur. Vide Zonaram. Meminit hujus legis & Paulus Diaconus libro XIII.

DE SENTENTIAM PASSIS & restitutis.

Symmachus epist. X. 3. *Notatus judicio exploratissimum remedium veniæ imperialis implorat, ut judicati remissione famæ suæ vulnus excludat.* Valentinianus Novella XVI. *Imperatoriæ vis major laudis est, aliqua decreta mollire.* Optima ad veniam occasiones sunt, merita nova. Fabius Maximus apud Plutarchum: τὰ ἡμαρτημένα λελύσθω τοῖς εὐδραγησημένοις. *Condonentur peccata benè factis.* Vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis XX. 26. Interdum non tota pœna remittitur, sed pars pœnæ. exemplum habes apud Cassiodorum III. 46. Vide quæ dicta ad hunc in Digestis titulum.

L. Si debitor.

Æris tamen alieni ex præcedente tempore pœna liberatus est] Est constructio Græca: ἀπολύσῃ τῆς ἐχέως. Sic *curæ & tutelæ liberetur*, dixit Vlpianus. L. cùm filiofamilias, §. item D. de legatis III. *pœna* interpretare, per pœnam.

DE IVRE FISCI.

L. Ultima.

Non improbabiliter quidam ex materia, quæ hoc titulo tractatur, existimant, non hanc legem hîc

752607

hîc deesse. sed illam, cujus Eustathius meminit in triginta diebus, §. 14. Sensus ejus erat, ut qui res fisci immobiles detineret, intra xxx dies eas tradere fisco teneretur. Nam dicit Eustathius, eam legem esse ultimam tituli primi libri decimi codicis.

De Sententiis Adversus fiscum latis retractandis.

Intra triennium retractari posse] Quantas rapinas sub hoc prætextu egerit Iustinianus, videre est in arcana Procopii historia.

De Delatoribus.

L. Neque servo.

Neque servo, neque libero homini liceat deferre id, ex quo quisquam aut mortem, aut bonorum suorum amissionem pertimescat] Scribendum, *ex quo non quisquam*. Res deferre quivis potest: facta deferre ea tantum, quibus imposita est mors aut confiscatio. Ecclesia quidem odit delaturas, ut videre est canone LXXIII. Concilii Eliberini. At leges circumcidunt delaturas, non tollunt. Tiberius de delatoribus agens: *Subverterent potius jura, quàm custodes eorum amoverent.*

De Annonis Et Tributis.

Annona quid fuerit partim ex Novella cxxx intelligimus sed optime ex arcana Procopii historia. Debebant agrorum possessores, præter tributa alia quæ ἐπιβολαὶ & διαγραφαὶ, dicebantur, id est indictiones, & superindicta, de quibus tituli sequuntur, militi frumenta & alia alimenta, equis autem pabulum suppeditare. Quod si ex suis rebus id non haberent, emere aliunde cogebantur, & suo sumtu perferre in castra ad optiones exercitus.

DE SVPERINDICTO.

Hujus ſpecies eſt aëricum, quod exegit Iuſtinus, teſte eadem illa Procopianæ hiſtoriæ arcanę parte. Fuit ejus mentio lit. 1. tit. IV. apud Harmenopulum, ſed locus in litura eſt, puto quia ſublatum poſtea id onus. Sed reduxit Michaël Paphlago, ut Cedrenus nos docet.

DE APOCHIS PVBLICIS, ET DE deſcriptionibus curialibus, & de diſtributionibus civilibus.

L. Semel.

Securitatem] Id eſt apocham, ut oſtendit lex ſequens, & Symmachus x. 43. & L. 2. Theod. de diſcuſſoribus, & Novella Theodoſii & Valentiniani de indulgentiis reliquorum, & L. ſecuritates, infrà De ſuſceptoribus.

DE DECVRIONIBVS ET FILIIS EOrum, & qui decuriones habeantur, & quibus modis à fortuna curiæ liberentur.

Bona curialium functionibus erant obnoxia. Ideo vendi non poterant, niſi ex ſpeciali indultu præfecti prætorio. Vide Caſſiodorum VII. 47.

L. Si quis decurio.

Vi quis decurio pater ſit duodecim liberorum, honoratiſſima munerum quiete donetur] Olim id datum ſexdecim habenti liberos, quo tempore nullus erat abſciſsè numerus lege definitus, ſed concedi reſcriptis ſolebat, quod hîc lege datur. Vide L. ſemper, §. demonſtratur, D. de jure immunitatis.

L. Omnes judices.

Senatorem] Id eſt decurionem. nam in municipiis decuriones id erant, quod Romæ ſenatores.

Itaque

752607

Itaque & conventus ipsorum, non minus quàm senatus βουλὴ dicebatur, & ipsi βουλευτὰι, quod senatores vertit aliquoties Plinius. Hinc explicandus jocus ille Ciceronis apud Macrobium Saturnalium II. 3. cum ab hospite suo P. Mallio rogaretur, ut decurionatum privigno ejus expediret, assistente frequentia dixit: *Romæ si vis habebit, Pompejis difficile est.* Pompejis, id est in municipio senatorium munus adipisci difficile erat. At Romæ facile id cuivis concedebat Cæsar. Ostendunt id quæ præcedunt apud Macrobium, & quæ sunt apud Suetonium vita Cæsaris, cap. 80. Quomodo civitas respublica, ita decuriones senatores.

QVANDO ET QVIBVS QVARTA pars debetur ex Bonis Decurionum, & de modo distributionis eorum.

Ilienſibus Augustus concesserat vindicationem bonorum civium suorum qui intestati decessissent.

DE PRÆBENDO SALARIO.

L. I.

Nulli salarium tribuatur ex juribus reipublicæ] Melius hoc, quàm quomodo in Theodosiano editur, *viribus*. jura reipublicæ, sunt reditus. Nec offendere quenquam debet illud, *juribus*. Nam & Vlpianus dixit: *Quia debita juribus non est pecunia.* L. quod si. §. 1. D. de const. pecunia. Eumenius: *Salarium me liberalissimi Principes ex hujus reipublicæ viribus in sexcentis millibus nummûm accipere jusserunt.* Rescribe & hic *juribus*. reipublicæ hujus, id est Augustodunensis, ubi ab antiquo nobilissima Galliarum soboles liberalibus studiis operabatur. quæ verba sunt Taciti Annalium III.

DE HIS QVI SPONTE PVBLICA munera subeunt.

L. Qui conditioni.

Patrem civitatis] Patres civitatis sunt, qui aliter curatores vocantur: Ii sub M. Antonino Philosopho à Senatu dati.

DE VACATIONE PVBLICI muneris.

Formulam vide apud Cassiodorum IX. 4.

DE PROFESSORIBVS ET MEDICIS.

Symmachus I. 73. *Scis bonas artes honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis reipublicæ, ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur.* Honoraria à Principibus data, penitus medicis & professoribus ademit Iustinianus, non Romæ tantum & Constantinopoli, sed & in urbibus aliis. notat Procopius in arcana historia.

L. Magistros.

Habebant plerumque magistri eloquentiæ sexagena millia, quidam plus. quidam à discipulis accipiebant. Philostratus Chresto & Proclo.

L. Reddatur.

Exceptis his qui à probatissimis approbati] Philosophis ab Imperatore datæ μυριάδες δραχμῶν. id nos docet Lucianus Eunucho. Tatianus philosophos quosdam accepisse ait ab Imperatore aureos annuos sexcentos.

L. Si quis in Archiatro.

Quam primis qui in eo ordine reperientur septem vel eo amplius judicantibus, idoneus approbetur] Symmachus X. 40. *Quia lege & more cogentibus summates eiusdem professionis par fuit in examen acciri, adhibitum*

752607

hibitum est judicio collegium omne medicorum. Archiatri erant Palatini medici. Si locus vacaret surrogabatur habito examine alius, neque is tamen demortui, sed ultimum occupabat locum. Erat his Archiatris suus Comes. Cassiodorum vide VI. 18.

DE ARGENTI PRETIO quod thesauris infertur.

Ita ut pro singulis libris argenti quinos solidos inferat] Auri ad argentum proportio Græcis decupla: Romanis plus quàm duodecupla. Vide Sirmondum ad capitula Caroli Calvi.

DE NAVICVLARIIS, SEV NAVCLERIS, PVblicas species transportantibus, & de tollenda lustrali auri collatione.

Iustinianus naviculatios, aut naucleros qui Byzantium appulissent, aut navibus earumve pretio spoliavit, aut coëgit merces in Italiam, aut Africam transportare. unde factum ut quidam suas naves exurerent, alii mercatores cogerentur triplam dare mercedem. Ita Procopius in arcana historia.

DE NAVFRAGIIS.

L. 1.

Constantino inscribitur hæc lex. Sed Antonini eam esse volunt Contius & Salmasius ex L. ult. D. de incendio. Non frustra autem condita lex: quia multis in locis mos obtinebat, parum humanus, talia in fiscum trahendi. Νόμος τὰ ναυφράγια τῷ τελωνῇ τίθ, est apud Syrianum, & Sopatrum ad Aphthonium, apud Chirium Rhetorem libro 1. meminit & Paulinus epistola ad Macarium 37. Maximè autem is mos viguit apud Septentrionis gentes. Albertus Stadensis in anno CIↃCXII. VVilhelmus Neubrigensis Anglicæ histo-

riæ

riæ IV. 26. Hildebertus Senomanensis Episcopus epistola 62, ad Honorium Papam : Honorius Papa epistola 71. c. excommunicationi x̃ de raptis. Fredericus in Constitutionibus c. de furtis. Vide quæ diximus libro II. de jure Belli ac Pacis, & in Annotatis.

DE AVRILEGVLIS ET GYNÆCIARIIS & Procuratoribus gynæcii, & de monetariis, & bastagariis.

Thessalos in gravissimas pœnas incidisse, ob violatas leges de purpura latas dicit in heroïcis Philostratus.

DE VESTIBVS HOLOBERIS.

Varia erat serici tinctura : & quæ Imperatoribus erat reservata, dicebatur ὁλόβηρος, planè vera. in arcana historia Procopius.

DE FABRICENSIBVS.

Vide Cassiodorum VII. 15.

L. Stigmata.

Confer legem decernimus, infrà de aquæductu, & quæ diximus ad Apocalypsim.

DE VETERIS NVMISMATIS potestate.

Vide quæ diximus ad titulum, D. de falsis. L. quicunque.

DE SPECTACVLIS ET SCENICIS. & lenonibus.

Spectaculorum nomine comprehenduntur, τὰ θέατρα, ἱπποδρόμους, κωμῳδίαι, Scenæ, Circi, Venatus. His rebus destinatos in urbibus reditus Iustinianus ad se traxit, ut nos docet in jam sæpe memorata arcana historia Procopius.

DE

752607

DE AQVÆDVCTV.

Aquæductuum canales vocabantur formæ. Cassiodorus sic usurpat VII. 6. habes vocem eandem eodem sensu in legibus Constantini, & Arcadii, & Honorii, quæ subjungi solent Frontino. Forma dicebatur id quod rem quamque continet. Inde casei formati, id est formis infusi, unde manet nomen apud Italos & Gallos.

L. Si quis per divinam.

Inscripta est hæc lex Cyro præfecto prætorii. Fuit & præfectus urbis Constantinopolitanæ, prolatavitque ejus ambitum à mari ad mare pertinente muro, ut nos docet Zonaras. Mentio ejus in epigrammaticis Græcis: L. eos qui infrà, de principibus agentium in rebus: Novella de alluvionibus, quæ Codici Theodosiano subjungitur: & apud Marcellinum Chronico.

DE GLADIATORIBVS PENITVS Tollendis.

Spectacula hujus generis, pridem invisa Christianis, sustulit primus Constantinus, teste Socrate. Auctorabantur gladiatores scripta cautione, uri, cædi, ferroque necari, notant scholiastæ ad Horatium & Iuvenalem.

DE MAIANO.

Erat dies lætus, dictus à Calendis Maii, celebrari primum solitus Hostiæ, ut Suidas nos docet, & quidem magno sumtu, ut docet Iulianus Misopogone. Ob nimiam licentiam, quæ se insinuaverat, sublatam, reddidêre Arcadius & Honorius hac lege. Sed resurgentibus vitiis sustulêre eidem ea lege quæ secunda est Codice Theodosiano hoc titulo. Vocatur hæc, ἡ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου παιήγυρις, Can. LXII. in Trullo. Vide Cardina-

Cardinalem Baronium ad Martyrologium v. Cal. Ianuarias.

DE CVPRESSIS EX LVCO Daphnensi vel Persíde per Ægyptum non excidendis, vel vendendis.

Lucus ille Daphnensis ad Antiochiam erat, quæ ad Oronten: unde eadem Antiochia, ut ab aliis ejusdem nominis urbibus discerneretur, dicta Antiochia ὑπὸ Δάφνῃ. Hujus luci meminêre Libanius & Chrysostomus, in orationibus de fano Apollinis, quod ibi erat exustum. Vide & quæ diximus ad II Maccab. IV. 33.

DE DIGNITATIBVS.

L. Ius Senatorum.

Ius Senatorum, & auctoritatem ejus ordinis, in quo nos quoque ipsos numeramus] Alexander Imperator Senatui apud Lampridium: *Et vos ipsi magnifici, unum me de vobis esse censete potius, quam magnum nomen ingerite.* Probus apud Vopiscum: Vos *estis mundi principes, & semper fuistis, & in posteris vestris eritis.* Claudianus laudans tempora, quibus plurimum potuit Stilico:

Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,
Quòd non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quàm prisco censeret bella senatus.
Neglectum Stilico jam tot per sæcula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres,
Decretóque togæ felix legionibus iret
Tessera. Romuleas leges rediisse fatemur,
Cum procerum jussis famulantia cernimus arma.

Corippus ex persona Iustini Imperatoris, ejus qui Iustiniano successit:

752607

Vos ô mihi proxima membra,
Conscripti patres, nostri pars maxima regni,
Vos estis pectus, vos brachia pectoris hujus.

Otho in egregia oratione, quæ est in primo historiarum Taciti, Senatum vocat caput imperii, decora omnium provinciarum, cujus incolumitate firmetur æternitas rerum, & pax gentium, & principis militumque salus: unde Principes nascantur, ut ex militibus senatores.

DE CONSVLIBVS ET NON Spargendis in vulgus pecuniis, & de præfectis, & de magistris militum, & patriciis.

Consules paululum quid retinuisse honoris magis, quàm potestatis, diximus ad titulum eundem in Digestis. Erant autem exempti oneribus sacerdotum: inde qui in senatum allegebantur sine sumptu, dicebantur eligi cum prærogativa Consulari. Symmachus x. 18. Munera dare solebant partim de suo, maximam verò partem ex Principum liberalitate. Sed hanc quoque sustulit Iustinianus, Consulatum quoque fecit planè incerti temporis, & sine honore, vt in arcana historia notat Procopius.

DE SILENTIARIIS ET Decurionibus eorum.

Silentiarii prætorianis quidem accensebantur, quoad honores & commoda, ut Procopius in arcana historia docet, qui eorum etiam meminit belli Persici secundo, & de ædificiis. Sed proprium eorum munus erat, excubare in eo conclavi, ex quo in cubiculum Imperatoris ibatur: ὅθεν σείτας τῆς ἀμοὶ τὸν βασιλέα σιγῆς, vocat eos Agathias, custodes silentii circa Imperatorem. Ipsumque illud, in quo hi erant, conclave vocabatur, Σιλεντιαρίειον, aut etiam, ad secundum velum.

Horum

Horum princeps magnus Silentiarius, θαυμασιωτάτου titulo insignitur in Actis Dhalcedonensibus. Eratque ejus magna dignitas. At Silentiarii, clarissimi tantum: quo sensu dicit honorem esse humilem Zonaras, majoribus scilicet multis comparatum. Meminêre Silentiariorum Zonaxas, Dorotheus, Evagrius, Malchus.

DE EROGATIONE MILITARIS ANNONÆ.

Stipendia non erant eadem militibus omnibus, sed tenuiora primùm adscriptis, uberiora provectis, veteranis maxima. Mortuis aut dimissis succedebant ordine proximi. Verùm Iustiniani tempore, neque suffectos milites in mortuorum locum, neque inferioribus ad superiores gradus processum fuisse servatum notat in arcana historia Procopius.

DE MILITARI VESTE.

Vegetius II. 19. *Imperatoris militem qui veste & annona publica pascebatur.* Ammianus libro XXI. *Omnisque ordo & professio vexabatur, vestem armaque exhibens & tormenta.*

DE CVRSV PVBLICO ET Angariis, & parangariis.

Equi hi cursuales, in quos inspectio mandatur apud Cassiodorum IV. 47. & V. 5. Veredus est equus unus, paraveredus qui eum comitatur. L. ult. hoc titulo. Erant autem alii possessores adscripti veredis, alii paraveredis: nec qui veredis asscripti erant, paraveredis onerari poterant. Cassiodorus V. 40. XI. 14. A paraveredis paraveredarii, quomodo minores equisones dicuntur Gallis, & aliis. Arcana historia etiam in hoc Iustinianum reprehendit, quod, per avaritiam, cursum publicum plurimis in locis sustulit, magno reipublicæ malo.

AD

752607

Ad

NOVELLAS

IVSTINIANI.

NVSQVAM verius illud Virgilii:

Fixit leges pretio, atque refixit.

Nam pleraſque has mutationes, aliquod ſibi lucrum aut Iuſtiniani, aut certè Triboniani habuiſſe propoſitum diſces ex arcana hiſtoria, ubi & rerum perversè judicatarum habes exempla.

NOV. I. *Cap.* 2.

Non velle, heredem retinere Falcidiam] Diſputatur an & Trebellianica teſtamento inhiberi poſſit. Certè id credidit Nazianzenus, aut cujus ille conſilio ad teſtamentum faciendum uſus eſt. Is Gregorium Diaconum inſtituens heredem ſub onere reſtituendæ hereditatis Eccleſiæ illi quæ erat Nazianzi, vetat eum quicquam detrahere ejus reſtitutionis cauſa.

XVII. *Cap.* 11.

Si verò Canonicum ſit quod quæritur unà cum metropolita provincia hoc decernere] Conventuum mixtorum ex civilis & Eccleſiaſticæ dignitatis hominibus exempla habemus aliqua in jure Græco-romano. Solent nunc quoque in regnis nonnullis ſic expediri controverſiæ, quæ inter jurisdictionem regiorum magiſtratuum, & epiſcopalem audientiam incidere ſolent.

XVIII. *Cap.* 1.

Et non eam deſpicere ſemper erubeſcentes] Imo, *erubeſcentem*, nempe legem, tanquam ſcilicet minus perfectam. ἐρυθριῶντα, in Græco, τὸν νόμον, ſcilicet. Sic Imperator in judiciis quidem multa adhibuerat temperamenta, ſed erubeſcit quod nondum lege edita id fecerit, infrà 5.

XXII.

XXII. *Cap.* 8.

Nullum ab initio benè natorum] In Græco, τῶν εὖ γενῶν. id verò valet *ingenuorum.*

XXXVIII. *Cap.* 4.

Quod si omnes feminæ] Hæc est lex, quam inter cæteras accusat Procopius. Vetus lex erat, ut decurione sine maribus liberis mortuo, quarta pars cederet curiæ, ut vidimus, C. quando & quibus quarta pars debetur. βελευτὴς enim est Procopio decurio: non Romanus Senator. Iustinianus, ait, legem tulit contrariam, ut si id eveniret, quartam partem haberent heredes, cæterùm partim fiscus, partim curia. Ergo quod hîc dicitur novem uncias ad civitatem venturas, intelligendum est arcana quadam pactione cum fisco facta, quam in lege subticere visum. At Iustinianus hac sua lege se non tenens, Anatolii hereditatem ad filiam ejus devolutam, totam sibi rapuit, dans filiæ de bonis paternis staterem annuum, testatus se id facere pietatis causa.

DE TABELLIONIBVS ET ut protocolla dimittant in chartis.

Tabellio in arcana Procopii historia vocatur: ὑπὸ τῆς ἀγορᾶς καθήμενος, ὃς ἐπετέλει τὰ τῆς πολιτικῆς γραμματεῖα, ἕκαστον οἰκείοις ὑπογράφων αὐτὸς γράμμασιν, ὃν δὴ ταβελλίωνα καλοῦσι Ῥωμαῖοι. *Homo in foro sedens, qui civium cuique instrumenta conficiebat, & ea sua muniebat manu, quem Romani tabellionem vocant.* Suidas, ταβελλίων, ὁ τὰ τῆς πόλεως γράφων συμβόλαια. *Tabellio qui contractus scribit, qui per urbem fiunt.* Vide Alexii Conmeni Novellam in jure Græcoromano, & Nicetam de Isaacio libro 11, & Cabasilam in quæstionibus.

DE

752607

DE ECCLESIASTICARVM Rerum immobilium alienatione, & solutione.

Confer Capitulare Caroli Magni, libro II. 29.

VT IN PRIVATIS DOMIbus sacra mysteria non fiant.

Domus autem, in quibus tale quid agitur, & publicæ fient, & sub sacratissimum ærarium nostrum deducentur] Similis legis meminit Cyrillus contra Anthropomorphitas cap. 50. Ex Capitulari v. 38 Presbyter, qui in privatis domibus sine consensu Episcopi sacra celebraverit, honore sacerdotali privatur. Idem vult libri VII ejusdem Capitularis caput 334. Vide & infrà CXXIII. 32.

LXXXIV. *Cap.* 2.

Nihil à legitimis filiis differentes] In Græco: μηδὲν τῶν νομίμων παίδων διαλλάττοντας. Eadem verba habes, infrà LXXXIX. 9. Sic & eadem Novella LXXXIX, 3. Nihil dissimilis legitimis, ἐδὲν ἀπεοικὸς τῶν γνησίων. Ergo lex de legitimis loquens, etiam hos comprehendit.

XC. *Cap.* 2.

Quia fide digni sunt] Εὐυπόληπτοι, in Græco, id est, bonæ existimationis.

CVII. *Cap.* 1.

Primum quidem ejus subscriptione tempus declaret] Solebat tempus poni initio instrumentorum. L. libellorum, D. de inscriptionibus. Chrysostomus secundo sermone de verbis Esaiæ, Vidi Dominum: ἐὰν μὴ τῆς ὑπατείας τὸς χρόνος αὐτοῦ ἢ προγεγραμμένος, *Nisi præscripta habeat consulatus tempora*. ait eo modo præcidi controversias, aliáque ibi habet ad hunc morem spectantia.

CXV.

CXV. *Cap.* 3.

Cauſis exheredandorum liberorum, quæ hîc exprimuntur, nec planè eædem, nec multum diſſimiles ſunt, quas habemus, Longobardorum II. tit. XIV. c. 12.

Si verò uſque ad viginti quinque annorum ætatem pervenerit filia, & parentes diſtulerint eam marito copulare, & forſitan ex hoc contigerit] Terentius Adelphis:

An ſedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniat, expectantem.

Menander:

Θυγάτηρ ἐπίγαμος, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ
Διὰ τῆς σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.
Ætate nata nubili, ut dicat nihil,
Satis tamen ipſo ſignificat ſilentio.

CXXIII. *Cap.* 1.

De Epiſcopis eligendis, vide quæ congeſſit vir ad pietatem, & pacem, eruditiſſimus Caſſander in liturgicis.

Sed primo clericis non minus tribus menſibus connumerentur] Synodus Sardicenſis Canone XIII ſecundum Dionyſium Exiguum vult eum qui ex laïco eligatur Epiſcopus, priùs Lectoris & Diaconi, & Presbyteri officio fungi, & ſic probari. Confer & Synodi I. & II. ſub Photio canonem ultimum, & Balſamonem ad eum.

Cap. 11.

Solutus excommunicatione à majore ſacerdote] A Metropolita; idque ordinis ſervandi cauſa.

Cap. 18.

Si quis oratorii domum fabricaverit, & voluerit in ea clericos ordinare, aut ipſe, aut ejus heredes, ſi expenſas

752607

expensa ipsis clericis ministrant, & dignos denominant, denominatos ordinari] Origo juris patronatus quod dicitur.

Cap. 21.

Si quis autem litigantium intra decem dies contradicat] Laïcus scilicet cum clerico aut monacho negotium habens.

Si tamen ex Imperiali jussione, aut judiciali præcepto Episcopus judicat, inter quascunque personas appellatio ad Imperium, aut ad eum qui transmisit negotium, referatur] Quia non ut Episcopus judicavit.

Cap. 34.

Non omnino secundum gradum] κατὰ βαθμὸν, hoc est quod secundum ordinem dicit Capitulare v. 231. Vide quæ diximus ad L. sacris, C. de Episcopis & Clericis.

CXXX.

Habere autem eosdem optiones deputatam ipsis occasione emolumenti quintamdecimam portionem] Duodecimam partem dicit Procopius in arcana historia. Facilis in numero error aut hic, aut illic. De horum optionum rapacitate multa idem Procopius alio loco ejusdem historiæ.

CXXXIII. *Cap.* 2.

Habentium schema] Sic diaconissarum τὰ τοῦ σχήματι, meminit canon ultimus magnæ Synodi Nicænæ: ubi Dionysius Exiguus, *Quæ in eodem habitu esse probantur.*

CXXXIV. *Cap.* 7.

Quia creditores filios debitorum præsumunt retinere] Mos vetus Syriæ. Vide quæ diximus ad IV. Regum IV. 1. & ad Math. XVIII. 25.

Cap. 8.

Sive semel, sive toties hujusmodi aliquid pro eadem re fiat] Id est, plus semel mulier post intercessionem conscribens cautionem, aut pignora dans, aut intercessorem, amittit beneficium Vellejanum ex L. si mulier perfectè, C. ad Sc. Maced. sed mulierem pro marito intercedentem, etiamsi hoc fecerit, sublevat hæc Novella, nimirum veniam dans sexui maritorum blanditiis obnoxio. Lapsus qui facillimè fiunt, maximè sublevandi.

CXXXV.

Non supina negligentia] In Græco legitur: ἡ ῥαθυμία παραδιδομένη, sed scriptum fuit olim, παραλελυμένη. Atque id optimè vertit Latinus hic interpres.

Perinde quasi dum corporis supplicium ipsi remittitur, maluerit rerum suarum amissionem capere potius, quàm cum inopiæ jugo itidem ad mortem usque premi opprobrio ignominiæ. Hunc locum in Græco delata vocula μὴ, rectè sanavit, nec minus rectè interpretatus est Heraldus. Hoc vult eum qui casu, non culpa, rebus suis elapsus est, non debere per carcerem cogi, ut ad vitandum corporis cruciatum, bonis suis carere omnibus, ac præter inopiam, etiam labe ignominiæ ad mortem usque premi malit.

CXXXVII. *Cap.* 5.

Si vero metropolitanus sit, aut beatissimus Archiepiscopus sub quo degit] Patriarcha vel ἔξαρχος. Sic vox ἀρχιεπισκόπου, sumitur in actis Synodorum Ephesinæ & Chalcedonensis.

CXLI.

Iustinianus, ἀρσενοκοίτας puniit abscissione, partis per quam peccaverant. Narrat in historia arcana

Proco-

752607

Procopius: additque Theophanes, affectum hac pœna Episcopum Diœceseos Thraciæ Alexandrum. Addunt aliæ historiæ datum ad pœnitentiam, cujus in hac lege mentio, tempus trimestre, satis leniter.

CXLII.

Archipherocitæ] פרק in Gemara non titulum tantum significat, sed prælectionem simul & explicationem particulæ legis. Inde Archipherekitæ, quorum munus erat legis partes & prælegere populo, & interpretari, iidem qui in Actis & legibus ἀρχισυνάγωγοι רישי הקהל Presbyteri sunt זקנים. magistri רבים.

CLIV.

Hæc constitutio ex earum genere est quæ provinciales dicuntur. Vide hoc deserimen in Trajani epistola 72.

CLIX.

Sed quatuor jam generationes præteriisse viderentur] Hæc lex est Λοξὴ θέσπισμα, de industria ita scripta, arte Triboniani hominis callidissimi, ut ad futuros casus aptari, aut iidem casus ab ea eximi possint. Non enim apparet quid dicat quatuor generationes: neque verò an ea fuerit causa legis, an obiter tantum hoc ad implendam facti speciem narretur.

AD IVSTINIANI EDICTA

III.

Vt masculi in parentum hæreditatem succedant, fœminæ vero non] Non improbassent hanc Armeniorum legem Romani veteres, qui natos ex filiabus nepotibus annumerari noluêre, & qui Voconiani legem scripsêre: multo minus illi Franci, quorum fuit lex Salica, quæ filiam vetat partem habere in Alode, id est terra hereditaria.

AD CONSTITVTIONES Leonis.

LVII.

Vide suprà Novellas CII. CIII. CIV. & quæ nos diximus de jure Belli ac Pacis libro II. cap. III. §. 10.

LVIII.

Apostolicum decretum de non edendo sanguine, &, quod ad sanguinem refertur, suffocato, à veteribus Christianis ita anxiè fuit observatum, ut botuli sanguine distenti, tentamenta fuerint Christianorum, ut nos docent Iustinus Martyr, Tertullianus Apologetico, Minutius Octavio, Eusebius v. 1. Canon, qui Apostolicus dicetur, 63. Canon Gangrensis 2. Et quanquam Augustini tempore, in Africa illud de suffocato videtur non exactè observatum, XXXII. contra Faustum 13: mansit tamen & in Oriente, vt hæc Novella nos docet, mos ille antiquus, & in Occidente diu, ut videre est in Concilio VVormatiensi, sub Ludovico Pio, & in Zachariæ epistola ad Bonifacium. Etiam libri pœnitentiarii scripti ante annos quadringentos, pœnam imponunt contraeuntibus. De causis decreti Apostolici alio tempore agemus.

AD LIBROS DE FEVDIS.

Origo vocis est Fe-od: id est stipendii possessio. Dicemus in Gotthicis.

Libri I. *Tit.* I.

Antiquissimo enim tempore, sic erat in dominorum potestate connexum, ut quando vellent, possent auferre. Postea vero eò ventum est, ut per annum tantum firmitatem haberent, deinde statutum est, ut usque ad vitam fidelis produceretur] Feuda Daniæ fuisse ad vitam, & ad voluntatem notat Pontanus historiæ libro IX.

II. *Tit.*

752607

II. *Tit.* XVI.

Hujus capituli sensum habes apud Guntherum Ligurino VIII.

XXVII.

§. *Si quis.*

Vti herba & viridi] Ad pabulatum.

Tit. XXXIV.

Sacramentum non semper dandum est possidenti] Arbitrio judicis permittebatur, an actor sacramento probationis impleret, an vero reus eâs purgaret. Vide cap. ultimum ẽ de jurejurando.

Tit. XL.

Hæc sunt capitula quæ rex Conradus fecit in Romandiola] Imo *rex Fredericus in Ronchalia*. Apparet ex Gunthero, & infrà libro V. Error ex notis FR. & CR.

Tit. LII.

Hæc ipsa lex Lotharii inserta est legibus Longobardicis libro III. tit. IX. cap. 9.

Tit. LIII.

§. *Item sacramento.*

Sensum hujus capituli sic exprimit Guntherus:

Iuramenta metu, mortisve dolore coacta,
Præcipuè ne quis multis nocitura loquendo
Publicet, aut in se crudeliter acta sequatur,
Nullius meriti vel ponderis esse jubemus.

LV.

De hoc capitulo sic Guntherus.

Si quis habens feudum pretio, seu vendere totum,
Seu pro parte velit, Dominique licentia desit,
Seu dare, seu vadio supponere cogitur, ille
Qui dedit, amittit: non qui suscepit, habebit:
Nullaque vel longi præscriptio temporis obstet,
Quominus ad Dominum redeant translata priorem,
Exemplumque bonæ fidei testetur in illum
Actio, qua pretium cogat redhibere solutum.
Hæc magnus fieri vetuit Lotharius: at nos
Facta retractari volumus, facienda caveri.

Radevicus in historiæ libro II. cap. VII. habet hæc omnia usque ad, Quæ sint Regalia.

Præterea si quis infeudatus major XIV *annis)* Guntherus.

Successor feudi, totum si fortè per annum
Atque diem, tacto jam primæ tempore pubis,
Sive dolo, seu desidia, seu mente superba
Spreverit à Domino feudalia poscere jura,
Perdat, & hæc Dominus proprios assumat in usus.

§. *Firmiter.*

De hoc capitulo sic Guntherus:

Publica militiæ vassallus munera justa
Non renuat, Dominique libens in castra vocatus,
Aut ipse, aut alium pro se submittat iturum:
Arbitrio Domini, vel quem laudaverit ille,
Compenset, redimatque suum mercede laborem.

§. *Insuper.*

Idem ille Guntherus:

Si patris dominum vassalli filius acri
Læserit offensa, festinet providus illum
Conciliare pater: quod si contemnet agendum,
Munere privetur. Si verò audire monentem
Filius indomita neglexerit aure parentem,
Non erit in feudo successor idoneus ille,

Ne

752607

Ni prius accensam domini placaverit iram.
Si tuus ex feudo cuiquam vassallus id ipsum
Contulit, atque tuo vassallum munere fecit
Ipse sibi, si fortè tuam, jam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa, Domino mediante secundo,
Fecerit ipse satis, reprobato protinus illo
Ad Dominum redeant feudalia jura secundum.
Si tuus ille tuum tibi conciliare fidelem
Spernit, & aut torpens, aut perfidus esse probatur,
Ambobus spretis, ad te tua jura recurrent.
Inter vassallos unius fortè patroni
Quæstio de feudo quoties agitatur, eodem
Quo feudi Domino gaudent, hoc judice certent.
Si tibi pro feudo quod te tribuente fatetur
Acceptum, tu verò negas, vassallus agendam
Fortè movet litem, non tu, sed curia judex
Audiat, & certo determinet ordine causam.

Desunt hic in libris feudorum duæ constitutiones Frederici, quarum sensum sic refert idem ille Guntherus:

Marchio seu Comitis possessio, sive Ducatus,
Integra permaneant: feudalia cætera multis
Participanda patent, Domino dum quisque fidelis
Spondeat obsequium, curandaque fœdera præstet.
Sic tamen ut Dominos ejusdem nomine plures
Vassallus feudi non compellatur habere.
Præterea quoties feudali jure recepto
Vassallus domino fidei juramina præstat,
Excipiendus erit Romanus nomine princeps.

Priorem constitutionem his verbis ponit Radevicus: *Præterea Ducatus, Marchia, Comitatus de cætero non dividatur: aliud autem feudum, si consortes voluerint, dividatur, ita ut omnes qui partem habent feudi jam diviſi, vel dividendi, fidelitatem Domino faciant: ita tamen ut vassallus plures Dominos non compellatur habere, nec Dominus feudum sine voluntate vassallorum, ad alium tranferat.*

Tit. LVI.

Regalia jura alibi alia. Hîc ea recitantur, quæ Imperatores habebant in civitatibus Lombardiæ. Guntherus libro VIII.

Ac primùm Ligures super hoc à rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonia, flumina, pontes:
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et Capitolitium certo sub tempore censum,
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

Radevicus verò libro I. 5. 41. *Regalia veluti monetam, telonium, pedaticum, portus, & Comitatus, & alia similia si qua sunt, commune Mediolanensium dimittet, & ultro se non intromittet: & si quis per violentiam obtinere hæc voluerit, & justitiam inde coram domino Imperatore, vel nuntio ejus facere noluerit, Mediolanenses vindictam de eo pro sua possibilitate sument in persona & possessione: & regalia domino Imperatori restituent, sine fraude, & malo ingenio.* Et libro II. 5. *Primique resignantium Mediolanenses exstitêre, requisitique de hoc ipso jure quid esset, adjudicaverunt Ducatus, Marchias, Comitatus, consulatus, monetas, telonia, fodinas, vectigalia, portus, pedatica, molendina, piscarias, portus, omnemque utilitatem ex diverso decursu fluminum provenientem: nec de terra tantum, verùm de suis propriis capitibus census annui redditionem, hisque omnibus in fiscum annumeratis,* &c.

DE ALIENATIONE FEVDI.

Omissus hîc est liber tertius. Hîc verò incipit liber quartus.

FINIS.

5681-162

752607

1/0 52 x

752607